PROGRAMM

des

Gymnasii illustris zu Gotha

als

Einladung zur Theilnahme

an den am 14, 15 und 16 März zu veranstaltenden Prüfungen

sämmtlicher Gymnasialclassen.

INHALT.

Gotha, 1853.
Druck der Engelhard-Reyher'schen Hofbuchdruckerei.

DE NOMINUM QUANTITATE.

ALTERA PARS.

Postquam in programmate, quod superiore anno conscribendum susceperam, in legibus, quas in nominibus metiendis secuti sint Latini, investigandis et perscrutandis de consonantibus *l*, *m*, *n*, quae suffigantur radicibus, exposui, nunc, quum iterum mihi programmatis scribendi facta est copia, quae de consonantibus *r*, *s*, *v*, *b*, *p*, *g*, *c*, *d*, *t*, quae ad nomina facienda radicibus possint apponi, mihi collecta sunt et excogitata, cum benevolis lectoribus communicavi.

---

4. Suffixum *r*, quod ex *s* ortum est, radicibus in vocales exeuntibus appositum esse multis et gravibus exemplis in priore huius scriptiunculae parte probavisse mihi videor. Quamvis ibi mūs et pūs cum solis Graecis *μῦς* et *πῦος* contulerim, tamen radices, quae in iis inveniuntur, non plane deesse opinor Latino sermoni. Nam equidem mūs cum murus eandem habere originem et bestiam, quae delitescere soleat, significare putaverim. Pūris vero radicem etiam in pūtendo cerni censeo, quamvis in pŭtris, cuius eadem est origo, brevis sit vocalis. Neque amplius dubito, quin mōs una cum mŏdus recte a meando ducatur, cf. Pott I, 136. Namque Umbricum mers utrumque vocabulum bene videtur conciliare, cf. Aufrecht et Kirchhof. ind. s. v. Rōs, cuius etymon alii in Graeco *δρόσος* alii in *ῥέειν* inveniri arbitrantur, ex ruendo factum esse mihi persuasum est: unde, ni fallor, potest explicari, qui factum sit, ut rorarii communem cum ros habeant originem. Aliter iudicant Varr. l. l. 7, 3, 92. et Fest. 14, 15. 264, 8., qui rorarios ab ipso rore denominatos esse censent. Glīs, quod Fest. 278, 33. et Isid. 12, 3, 6. a gliscendo derivant, longam habere syllabam docet Beda 2359. Quam vero glos habeat mensuram, nescimus; sed eius vocalem longam esse nobis coniicere licet. Mas radicem corripere notum est; quae vero sit eius mensura casu nominativo, ignoramus. — Restat, ut de duobus vocabulis fūr et vēr dicamus, in quibus *r* non ex *s* ortum est. Varro apud Gell. noct. Att. 1, 18. dicit, furem ex eo dictum, quod veteres Romani furvum atrum appellassent. Quae in furvus est radix, eadem in fuscus invenitur, quod aeque ac luscus factum est. Huius vero radix in vocalem exit, quod ex lūmen, lūna, lustrum intelligitur. Similiter fūmus et fūnus, quae cum fuscus communem habent originem, radicem eius in vocalem exiisse satis demonstrant. Si igitur fūr eadem radice enatum est, non est causa, qua vocem litera *r* apposita factam esse negemus. Nec aliter ortum videtur Graecum *φώρ*, cuius radicem in *φωλεός* quo-

que inveniri mihi persuaserim*). At vēr a radice, quae in vivendo est, descendere mihi videtur quae quidem radix non plane a vegendo, vigendo, virendo aliena est, quamvis in his vocabulis brevis sit vocalis. Sic enim vocem explicant Varr. l. l. 6, 2, 9. et Isid. 5, 35, 3. Neque tamen Varro eam ex Graeco ἦρ fieri potuisse negat.

I. Prima suffixorum compositorum series. 1) ris, cf. auris, quod si cum audiendo contuleris, facile intelliges exitu ris esse instructum, omnisque dubitatio eo magis eximitur, quod eadem radix in αὖς sive αὖας conspicitur. Duo tantum radicibus productis inveniuntur vocabula: būris et nāris, quorum alterum ex bos factum est (cf. Varr. l. l. 5, 31, 135. Serv. Virg. Georg. 1, 170. Isid. 20, 14, 2.), alterum quin eadem ac nāsus ortum sit radice dubitari nequit: in hoc vero literam *s* suffixo adhaerere infra docebitur. Utriusque igitur vocabuli radix recte producitur. Aliis suffixis accedentibus fit exitus: (1) bĕr sive brĭs, cf. september. Quo quidem exitu apposito vocalis, qua radix sive stirps terminatur, produci solet, cf. octōber. Plerumque autem stirpem et exitum vocalis copulativa ĕ sive ŭ inter se coniungit, cf. celĕber, funĕbris, muliĕbris, lugŭbris. In salūber vero vocalis *u* longa est. — (2) cĕr sive crĭs, quod vocali ă sive ŏ sive ŭ interposita radici vel stirpi coniungitur, cf. alăcer, volŭcer, mediŏcris. — Nisi egregie fallor, idem exitus in ācer nulla vocali copulativa interposita invenitur. Nam a me impetrare non possum, ut vocem illam ex eadem radice derivem, quae in nominibus ăcies et ăcus et in verbis ăcuendi et ăcendi conspicitur, quum causa non suppetat, qua vocalis productionem in solo ācer conspicuam explicemus. Itaque iure meritoque mihi videtur quaeri, quae sit radix, ex qua vox illa originem traxerit. Equidem non dubito, quin in Graeco verbo ἄζειν inveniatur. Quo probato consonantem *d*, quae eius radici adhaeret, extritam esse statuamus necesse est: neque causa est, cur vocalem *a* productam esse miremur. Qui me sequitur, in ācer notionem urendi esse sibi facile persuadebit, quae quidem notio optime ad sensum, aciem, auditum, gustum videtur posse referri. — (3) tĕr sive trĭs, quod in uno pŭter sive pŭtris radice correpta inveni. — (4) stĕr sive strĭs, cf. illustris. Plerumque exitus et stirps vocali *e* interposita inter se coniunguntur, cf. equester, pedester, silvester, terrestris. Singulari quadam ratione factum est paluster. — 2) ra exitum esse optime intelliges, si aura Graeco αὔρα contuleris, cuius radicem in ἄω conspici satis constat et in αὐλός quoque aliisque vocabulis invenitur. Neque quisquam dubitabit, quin serra a secando veniat et terra communem cum tellus habeat originem. Quae in vocalem exeunt radices, eae exitu apposito producantur necesse est. Id factum esse invenies, si līra ex eadem radice ac līcium, līnea, alia originem traxisse consideraveris. Facile quisque concedet radicem vocabuli cēra vocali terminari, qui cum Graeco κηρός contulerit, quod quin eandem atque κήφην habeat originem dubium non est. Si quis quaerit, unde ōra venerit, id voci os cognatum et pariter atque illud factum esse inveniet: in eo autem *r* suffixum esse supra dixi. Simili ratione videntur orta cūra, hīra, lūra, sūra: sed quae sint radices, ignoramus. Sunt et vocabula, quorum radices ob eam causam producantur, quod consonans in fine posita extrita est. Nam būra ex bove factum esse quis est qui ne-

*) Sunt multi, qui fūr pariter ex ferendo ac φώρ ex φέρειν ortum esse censent. Qui ita statuunt, ii vocalis in utroque vocabulo cur sit producta non explicabunt, nisi et Graecos et Latinos ex arbitrio quodam in aliis vocabulis pleniorem esse et graviorem sonum, in aliis tenuiorem et leviorem voluisse censeant. In Graeco sermone vocabula monosyllaba radicis vocalem saepe produxisse satis notum est, cf. κλώψ, ῥώξ, ὤψ, alia. Cuius quidem productionis causa ex ipsa forma videtur repetenda esse; nec vero eadem in Latino sermone suppetit: uam apud Latinos multa vocabula, quae compluribus consistunt syllabis, vocalem receperunt longam. Itaque me recte iudicare putavi, quum in priore huius libelli parte in eiusmodi vocabulis productas esse propter aliquam notionis vim exposui radicum vocales. Quo ponderato a me impetrare non potui, ut fūr a ferendo ducerem.

get, si quomodo būris ortum sit animo perceperit? Si quis īra ex radice, quae in ignis est, derivaverit, equidem eum non reprehenderim. Unde veniat āra, difficile est dictu. Nam quam plurimi proposuerunt derivationem dicentes vocem ex Graeco *αἴρειν* esse factam, eam neutiquam probabo, quippe quum ex eadem radice ārca et ārere orta esse mihi persuaserim. Quid igitur? si ara eandem originem atque assus habere statuamus, quod Graeco *ἄζειν* cognatum esse constat? Quo probato ara proprie significasse videtur focum, in quo hostiae immolatae comburebantur. Quam sententiam eo minus dubito proferre, quod Varr. l. l. 5, 6, 38. eandem habuisse videatur. Is enim ait: ubi frumenta secta, ut terantur et arescant, area. Propter horum similitudinem in urbe loca pura areae; a quo potest etiam ara deum, quod pura; nisi potius ab ardore, ad quem ut sit, fit ara; a quo ipso area non abest, quod qui arefacit ardor est solis. Hanc igitur derivationem si sequamur, vocalis in radice positae productio eo explicatur, quod consonans *d*, quae radici in *ἄζειν* conspicuae adhaeret, extrita est. Id eo facilius fieri potuit, quod exitus ra antiquitus fuit sa. Nam Gell. noct. Att. 4, 3. in vetusta lege exhibet asa. Idem confirmat Macrob. Sat. 3, 2., qui ex Varronis rer. div. libr. 5. refert aras primum asas dictas, cf. Serv. ad Virg. Aen. 4, 219. Eademque forma in inscriptione Osca apud Mommsen 128 sq. (cf. 244.) et in tabulis Iguvinis apud Aufrecht et Kirchhof (cf. Vocab. s. v. et II, 73.) invenitur. Sed in hăra, lŏra, mŏra, sĕra quum radicis vocalis corripiatur, consonantem *r* ipsi radici adhaerere recte coniicere videmur. — Exitus ra ampliatus fit: (1) rea, cf. ārea, de quo supra dixi. Idem exitus invenitur in glārea, de cuius derivatione ego nihil compertum habeo. — (2) ria, qui quidem exitus in fēriae, glōria, sēria, stīria radicis vocali producta conspicitur. Fēriae et festus eadem radice enata esse omnes consentiunt. Festus vero quum mihi cognatione quadam cum fēbruus cohaerere videatur, non dubito, quin radix vocali terminetur: quod igitur ea in fēriae producatur, non est mirum. Quam proposui derivationem si quis approbet, vocabulum dierum, quibus cives hostiis mactatis lustrabantur, habere significationem facile sibi persuadebit. Alia est sententia Festi 86, 7., qui vocem ex inusitato feo videtur derivare. Dicit enim: ferias antiqui fesias vocabant; et aliae erant sine die festo, ut nundinae; aliae cum festo, ut Saturnalia, quibus adiungebantur epulationes ex proventu fētus pecorum frugumque. Si quis quaerat, unde venerit glōria, eum ad verbum cluendi revocaverim, cuius quidem radix etiam in Graecis *κλύειν* et *κλέος* invenitur: neque vero vocem ex ipso *κλέος* factam putaverim, cf. Fest. 98, 11. Sēria autem, nisi in coniiciendo audacior viderer, a praeverbio se derivarem. Nam vas significat, in quo vina, carnes aliaque condimenta recondantur. Stīria et stilla haud dubie eadem radice exorta sunt. Quod in stilla consonans duplicata est, id eo factum videtur, quod radix in consonantem exit. Quid igitur? si consonantem, exitu ria apposito, extritam esse statuamus? Nam Festo 345, 3. dicenti: stiria principale est, stilla deminutivum, non possum assentiri. Sed quae sit radix, non compertum habeo. Nam Graeco *στίλη* illa vocabula ob eam causam non possunt conferri, quod a *στίζειν* derivatum videtur. Verba autem *στάζειν* et *σταλάσσειν* cognatione quadam cum illis coniuncta esse credibile est, sed in ipsis radicem eorum conspici mihi non persuadebo. Pott I, 197. utrumque vocabulum a stando derivat. Reliquum est cūria, quod Pott I, 123. II, 493. ex praeverbio co et vir factum et ex coviria contractum esse censet: alii ad quirites referunt. — Praepositis suffixis fit exitus (1) bra, quo apposito vocalis, qua radix sive stirps terminatur, producatur necesse est. Id factum esse testimonio sunt fībra et lībra, quorum alterum ex radice vocabuli fīlum factum esse iam supra memoravi, alterum vero cum Graeco *λίτρα* (cf. Poll. 4, 24, 173. 174.) communem habet originem. Manil. 1, 92. vocalem *i* in voce fibra corripuit. Praeterea huc referendum est dolābra, quod a dolando venire certissimum est. Multo plura sunt exempla, quibus ad exitum cum stirpe coniungendum vocalem copulativam ĕ sive ŭ interpositam esse demonstratur, cf. latĕbra, illecĕ-

bra, palpĕbra, tenĕbrae, colŭbra. — (2) tra, quod in admodum paucis vocabulis invenitur, in quibus vocali copulativa ĭ sive ĕ interposita stirpi coniungitur, cf. culcĭtra, excĕtra. Quid sit in causa, cur lexicographi porcētra metiantur, equidem nescio. — (3) stra, qui exitus qua ratione apponatur, ex fenestra perspicitur. — 3) rus sive rum, cf. aurum, quod recte aeque atque Graecum αὖρον ab αὔω derivatur. Hic exitus in multis invenitur vocabulis, quae in consonantem exeunt. Nam fulcrum a fulciendo, scalprum a scalpendo, labrum a lambendo venire certissimum est. Si qua radix vocali terminatur, ea producatur necesse est. Nam mūrus ex radice venire, quae in moenia conspicitur et Graeco μύειν cognatum videtur, non facile quisquam negabit. Aliud exemplum est lōrum, quo quae dixi confirmantur: nam haud dubie eandem ac lōdix habet originem. Vīrus quoque equidem non dubito a vivendo derivare, quippe quod ab initio sucum vitalem significasse videatur. Mōrum et mōrus communem cum Graeco μῶρον habent originem. Neque desunt adiectiva, quibus exitum rus radicis vocali producta appositum esse perspici possit. Nam quis est, qui plērus ex verbo inusitato pleo venire neget? Gnārus non solum cum nāvus et verbo narrandi, sed etiam cum gnoscendo habere cognationem certissimum est, cf. Pott I, 182. Neque dubito, quin dīrus ex radice Graeci verbi δίω descenderit; sed si quis dixerit dīrus et dīvus communem habere radicem, quae integra est in dius, equidem non adverser: nam sunt, qui Graecum δῖος a δίειν factum esse contendant. Pūrus vero ex radice enatum esse, quae in adiectivo pŭtus et in verbo pŭtandi cernitur, omnes concedent, quamvis diversa sit mensura, cf. Varr. l. l. 6, 7, 63. Gell. noct. Att. 6, 5. Neque in reprehensionem incurret, qui delīrus ex eadem radice ac līcium, līnea, līnum, alia derivatum esse affirmaverit. Sunt autem adiectiva radicis vocali producta, quorum origo nondum indagata est: cārus, clārus, dūrus, mīrus, rārus, sērus, vārus, vērus. Sed in substantivis fŏrus, fŏrum, hĕrus, pĕrus, pĭrus, sĕrum, spărus, tŏrus, ŭrus et in adiectivis fĕrus et mĕrus consonans *r* propria est radicibus, unde vocales in iis positas corripi consentaneum est. — Ampliato suffixo fit exitus rius, quod in sērius producta radice invenitur. Hoc ex radice, quae in sĕverus est, ortum esse equidem mihi persuasi. — Aliis suffixis accedentibus fit (1) brum, quo apposito vocalis, qua radix terminatur, necesse est ut longa sit. Nam crībrum a cernendo, flābrum a flando, delūbrum a deluendo, pollūbrum a polluendo originem traxisse constat. Neque minus vocalis producitur, si *v* radici adhaerens exteritur, cf. lābrum, quod a lăvando venit. Sunt et vocabula, quae ex verborum stirpibus formata sunt, cf. ventilābrum, quod a ventilando ortum est. A substantivo candela factum est candelābrum. Neque desunt exempla, quibus vocalem copulativam interiectam esse possit demonstrari, cf. cerĕbrum, quod a cernendo venit. — Exitus auctus fit a) brium, quod quum vocali apponitur, eam ipsam facit longam, cf. manūbrium. Radice vero in consonantem exeunte, brevis vocalis copulativa interiicitur, cf. ludĭbrium. — b) bruum, cf. fēbruum, ex cuius radice, quippe quae purgandi sive piandi notionem habeat (cf. Varr. l. l. 6, 3, 13), satis magnum vocabulorum ductum esse numerum puto. Nam inde festus, fēriae, fēralis, fētialis facta videri iam supra memoravi. Neque vero facere possum, quin fēlix, quum de sacris arboribus dicitur, ex eadem radice derivem. Nam arbores felices dictas esse equidem putaverim, quibus utpote superorum sacris vis quaedam purgandi et expiandi inesse putabatur. At in fēbrulis equidem radicem esse coniecerim, quae in fētus, fēcundus, aliis cernitur, quippe quod Iuno Februlis potius esse videatur, quae mulieres fecundas reddat, quam quae lustret et expiet, cf. Fest. 85, 13. Hart. Rel. der Roem. II, 67. — (2) crum, quod in lŭcrum radice correpta invenitur. Recte enim Varr. l. l. 5, 36, 176. dicit: lucrum ab luendo, si amplius, quam ut exsolveret quanti esset, captum. Si verbi stirps in vocalem *a* exit, ea ipsa producitur, cf. ambu-

lācrum, lavācrum, simulācrum. Involūcrum ab involvendo est factum, consonante *v* in vocalem *u* mutata. Vocalem copulativam interiectam esse docet ludĭcrum. Etiam in molŭcrum *u* copulativa vocalis videtur esse. — (3) trum, cf. rastrum, rostrum, spectrum. In rŭtrum brevis radicis vocalis servata est: nam a ruendo venit. Mira vero videtur radicis correptio in vĭtrum, si vocem Iohansen lat. Wortb. 38. sequentes a videndo derivemus. Si vero verbi stirps in vocalem *a* vel *e* exit, ea semper producitur, cf. arātrum, fulgētrum, verētrum. Neque tamen deest vocalis copulativa, quae interponitur, quum stirps sive verbi sive nominis consonante terminatur, cf. ferĕtrum, talĭtrum. — (4) strum, cf. lustrum a luendo, flustrum a fluendo. Aliud vero lustrum a radice venit, quae in luna, lux, lucere, aliis conspicitur. Inde ortum est a) astrum, cf. apiastrum, oleastrum, siliquastrum, cf. Lob. path. 79. — b) istrum, cf. canistrum, capistrum, rapistrum.

Vocali, in quam exitus rus desinit, abiecta et ĕ inter suffixum *r* stirpemque interposita nominativum in ĕr exeuntem oriri res est notissima, cf. socĕr, nigĕr. — Aliis suffixis accedentibus fit exitus (1) bĕr, qui quum apponitur, vocalis, qua terminatur radix, necesse est producatur. Testimonio sunt crēber et līber, quorum alterum a verbo crescendi venire nemo erit qui neget, alterum vero, pro quo antiqui loeber (cf. Fest. 121, 1.) dixerunt et Osci similem habuerunt formam (cf. Mommsen l. l. 273.), haud dubie Graeco λύειν cognatum est. At rŭber, quamvis, ut rūfus declarat, eius radix in vocalem exeat, aeque ac rŭtilus, quod eandem habet originem, exitu apposito vocalem corripuit, cf. Gell. noct. Att. 2, 26. Id eo magis videtur mirum, quod rōbus, cuius Fest. 264, 10. mentionem fecit, non dubitandum est quin longam habeat vocalem, quippe quum quod inde derivatum est rōbigo eam produxerit. Făber quoque, in quo, quum a faciendo venerit, litera *c* omissa est, brevem recepit vocalem*). In aliis vero vocabulis, quae in ber exeunt, qualia sunt glăber et scăber, consonans *b* radici videtur adhaerere. Utrum līber, quod corticem sive codicem significat, suffixum illud assumserit necne, decernere non ausim. Neque desunt exempla, quibus possit demonstrari vocalem copulativam ĭ sive ŭ interpositam esse, cf. Mulcĭber, colŭber, quorum alterum Fest. 144, 2. a mulcendo derivat, alterum a cellendo venire equidem putaverim. — (2) cĕr, cf. pulcer, quod ad pellendum referre non absonum erit. Nam pellere saepe de iis rebus dicitur, quae animum movent et excitant. Itaque pulcer cum Germanico reizend sive treffend conferendum esse puto. Vocalis copulativa interposita est in ludĭcer. — (3) fĕr, quo exitu instructa nulla inveni vocabula nisi văfer et Afer. In illo quamvis radicis vocalis sit brevis, tamen equidem non dubito, quin in eo exitus fer cernatur. Sed Afer, cuius vocalis in radice posita producitur, ego ex radice, quae in Graeco ἄζειν latet, ortum esse putaverim. Quam derivationem si sequamur, in voce illa notio adusti insit necesse est. Ex quo intelligitur, Afer fere idem significare, quod Graecum Αἰθίοψ. — (4) tĕr, cf. culter, adulter, quorum alterum a cellendo, alterum ab adulando venit. In dexter idem suffixum invenitur: quod quidem perspicies, si Graecum δεξιός composueris. Digna sunt memoratu āter, dēter, tēter, quod radicem producunt: cuius rei causa repetenda est a ratione, qua facta sunt vocabula illa. Nam āter equidem ex radice derivaverim, quae in Graeco ἄζειν cernitur: consonante *d*, quae radici adhaeret, extrita ipsa vocalis, quae praecedit, producatur necesse est. Atrox, quod haud dubie ab āter factum est,

*) Facile mihi persuadebis, si a prima origine radicem faciendi in vocalem exisse contenderis. Nam Umbrorum sermone feitu pro facito invenitur. Ad quam formam explicandam Aufrecht et Kirchhof I, 73. II, 126 sq. literam c excidisse statuunt. Neque vero quidquam impedire puto, quin verbum faciendi primitus litera c destitutum fuisse arbitremur. Quo probato facile fieri et facere inter se conciliari possunt. Utrumque enim vocabulum obsoleto verbo feo cognatum videtur.

brevem recipere potest vocalem: cuius quidem rei causa sane inde repetenda est, quod suffixum gravius accessit. Dēter ad de praepositionem revocandum esse nemo negabit. Tēter vero Düntzer Wortbild. 17. haud male a terendo derivat. Mirum est, quod tetricus haud dubie a tēter factum radicis vocalem corripere possit. Sunt tamen vocabula, in quibus exitus ter brevi vocali, in quam exit radix, coniunctus est. Nam cĭter ex radice factum est, quae in cis conspicitur. Arbĭter equidem eadem ratione ortum esse putaverim. Nam ex ipso verbo arbītendi ob eam causam non potest derivari, quod in eo vocalis est longa. Nihil igitur relinquitur, nisi ut exitu ter apposito ex simplici ire originem traxisse arbitremur. Quod si me recte explicasse sumseris, mirari desines, quid sit, quod in arbĭter vocalis corripiatur. Nam multa sunt vocabula ex radice verbi eundi orta, quae suffixis appositis ipsam vocalem *i* brevem servaverint, cf. ĭtus, ĭtio, alia. — (5) stĕr, cf. auster, quod ex Graeco *αὔειν* originem habet. Inde ortum est a) aster, cf. fulvaster, laetaster, cf. Lob. path. 79. — b) ister, cf. magister, minister, sinister.

II. Secunda suffixorum compositorum series. 1) ăr facit casu nominativo. (1) ăr, cf. baecăr, iubăr, salăr. — (2) ăris, cf. hilăris. — (3) ărus, sive ărum, cf. hilărus, labărum. — 2) ĕr facit (1) ĕr, cf. anser, carcer, celer. Aliis suffixis accedentibus fit a) bĕr, quo apposito vocalis, in quam exit radix, producitur. Id factum est in adiectivis pūber et ūber, quorum alteri communis est cum puer radix, alterum autem ex radice originem traxit, quae est in ūvens, ūdus, ūvor, ūmor, aliis. Substantivum ūber eandem habere originem atque adiectivum mihi persuasum est, praesertim quum eius significatio cum illo optime possit conciliari. Neque Graecum *οὖθαρ* plane ab eo alienum est. Si quaerimus, unde sūber veniat, nobis confugiendum ad Isid. 17, 7, 27. dicentem: suberies arbor — ideo appellata, eo quod fructus eius sues edunt: porcorum enim alimenta sunt. Qua derivatione approbata non miramur, quod radicem produxerit. At tūber Ramshorn a tŭmendo derivat: consonante omissa radicis vocalis recte producitur. Sed in tŭber sive arborem sive fructum significat correpta est radix. — b) cĕr, quod in uno prŏcer radice correpta inveni. — c) mĕr, quod in vōmer et cucŭmer conspicitur, quorum alterum radicem ob eam causam produxit, quod, quum, ex mea quidem sententia, a vellendo veniat, consonans *l* extrita est, alterum vero ad exitum cum radice coniungendum brevem recepit vocalem copulativam. — d) pĕr, quod in uno pauper conspicitur. Id enim ex radice, quae in paucus est, venire nemo negabit (cf. Dietrich. p. 11.). — e) sĕr, cf. anser, asser, quorum alterum eandem cum anas habere videtur radicem, alterum ex radice ortum esse puto, quae in assis et ascia conspicitur. — f) tĕr in uno ĭter invenitur, quod radicem corripuisse non est quod mireris, quum ĭtum quoque brevem habeat vocalem. — g) vĕr, cf. pulver, quod a pellendo derivem. — Adauctum fit: āver, cf. cadāver, papāver. — (2) ĭs, cf. cinĭs. Pulvis Lachmann ad Lucr. 1, 853. dicit esse natura longum, correptum quidem postea, sed non ubique a Vergilio, Horatio, Tibullo. — (3) ŭs, cf. genŭs, vellŭs. — Aliis suffixis accedentibus fit a) cŭs, cf. ulcŭs, viscŭs. — b) mŭs, quod in uno glŏmus invenitur. Quod vocabulum quamvis a gluo venire videatur, tamen aeque atque glŏbus, quod eandem habet originem, radicem corripit, cf. Hor. Ep. 1, 13, 14. Unus Lucret. 1, 361. eam produxit, cf Lachm. ad h. l. p. 36. — c) nŭs, cf. vulnus, quod haud dubie a vellendo venit. Si qua radix in vocalem exit, ea exitu apposito producatur necesse est. Nam mūnus radicem cum mūrus et moenia communem habere mihi persuasum est, quippe quae id significet, quod terminis circumscriptum est. Neque dubito, quin fūnus ex radice factum sit, qua fūmus et fūligo orta sunt. Recte igitur Fest. 84, 6. omnia illa vocabula cum furvus contulit et una radice enata contendit. — d) dŭs, cf. foedus, quod ex eadem radice ac fēbruum, fēralis, fētialis, in quibus notionem purgandi vel expiandi inesse supra exposui, venire pro certo affirmaverim.

Eandem sententiam animo concepisse videtur Varr. l. l. 5, 15, 86., qui dicit: fetialis, quod fidei publicae inter populos praeerant; nam per hos fiebat, ut iustum conciperetur bellum et inde desitum ut foedere fides pacis constitueretur: ex his mittebantur, antequam conciperetur, qui res repeterent, et per hos etiam nunc fit foedus, quod fidus Ennius scribit dictum. Praeterea sunt eiusdem generis vocabula radicibus productis rūdus et sīdus. Alterum a ruendo videtur venire: num vero raudus sive rodus sive rudus (cf. Fest. 264, 2. 265, 4.) eadem vox sit, equidem non decernam. Alterum vero ex radice, quae in signum est, equidem derivaverim, cf. Varr. 7, 2, 14. Simili ratione Graeca εἶδος et εἰκών inter se cohaerere mihi persuasum est, neque ea a Latinis sidus et signum plane diversa esse affirmare ausim. — (4) ēs, cf Cerēs, pubēs. — (5) ĕra, cf. arcera, camera, hedera, cumera, patera, opera. Aliis suffixis accedentibus fit a) pĕra, quod in uno vīpera radice producta me invenisse memini. Id a verbo eundi eadem ratione ac via factum esse persuasum habeo, cf. vēna. Vox paene idem ac serpens videtur significare. — b) tĕra, cf. adultera, matertera. Qui exitus quum radici in vocalem exeunti adiicitur, eam ipsam produci indicio est lītera, quod ex radice, quae est in līcium, līnea, aliis, originem traxit. — (6) ĕr sive ĕrus sive ĕrum, cf. puer, socer, lacer — humerus, numerus, quercerus. In iūgerum radix producta est, quippe quod vocabulum significet id, quod iunctum tenetur, non quod iungendo componitur. — Ampliatum fit suffixum a) pĕr sive pĕrus, cf. vesper et perperus, quorum alterum eandem ac vestis habet radicem: eam litera *s* auctam esse infra ostendam; alterum autem ex pessum ortum esse supra memoravi. Neque silentio praetermittendum esse puto asper, quod equidem ex eadem radice derivaverim qua ācer venit, cui significatione quodammodo cognatum est. Radix igitur in assus sive Graeco ἄζειν inveniri puto. Eodem exitu exstructum est nūperus, cuius productio per se ipsa explicatur. In prŏperus, quod a pro factum est, radix corripitur. At in iūnĭpĕrus vocalis copulativa videtur interposita. — b) tĕrus, quod radice producta invenitur in oblīterus, quod a linendo, unde et oblīvisci ortum est, traxit originem, et in cēterus, quod equidem non dubito quin ex particula demonstrativa ce enatum sit. — 3) ŏr facit casu nominativo (1) ŏr, cf. aequŏr, arbŏr, marmŏr, memŏr et quae composita sunt adiectiva, ut bicorpŏr. In ador suffixum vocalem habet ancipitem: plerumque vero correptum est, quamvis vocalis *o* in adōreus producatur, cf. Prisc. 785. 700. — (2) ŭr, cf. femŭr, iecŭr. Qui exitus ampliatus suffixo *b* praeposito fit bŭr, quod in uno rōbur radice producta invenitur. Nam radicem cum Graeco verbo ῥωννύναι habere communem satis constat, cf. Isid. 16, 7, 41. 9, 104. — (3) ŭs, cf. decŭs, nemŭs, lepŭs. — Suffixis praepositis fit a) cŭs, quod in stercus a sternendo ducto invenitur, cf. Dietrich. p. 22 sq. — b) nŭs, cf. pignus, quod a pangendo derivatur. In fēnus vero, quod a verbo inusitato feo originem traxit (cf. Varr. ap. Gell. noct. Att. 16, 12.), radix producitur. At facĭnus brevem vocalem copulativam recepit. — c) pŭs, cf. corpus, quod recte cum cortex confertur, et tempus, cuius radix in templum quoque conspicitur, nec a Graeco τέμνειν diversa est, cf. Momms. unt. Dial. 145. 287. — d) tŭs, quod in uno lītus radice producta invenitur. Si quis quaerat, unde venerit vocabulum, equidem non dubito, quin eadem ac līquis, līmen, līmes enatum sit radice. — (4) ŏra, quod in ancŏra solo conspicitur. — 4) ŭr facit casu nominativo (1) ŭr, cf. fulgŭr, murmŭr, cicŭr. Augur ex ipso augendi verbo in sacris apud Etruscos usitato aeque atque augustus videtur factum esse. Ampliatus fit exitus tŭr, qui in vultŭr cernitur: nam id a vellendo derivandum esse nemo negabit. — (2) ŭs, cf. Ligŭs. — (3) ŭr sive ŭrus, cf. satŭr, camŭrus.

III. Tertia suffixorum compositorum series. 1) ār facit casu nominativo (1) āris, cf. collāris, vulgāris. — (2) āre, cf. collāre. Saepe vocalis ĭ in fine suffixi posita casu nominativo

abiicitur; quo facto syllaba ar corripitur, cf. calcăr, altăr — lumĭnăr, lupānăr, pulvīnăr. — (3) āra, cf. palāra. — (4) ārus, cf. amārus, avārus. — 2) ēr facit (1) ēra, cf. privēra, statēra. — (2) ērus sive ērum, cf. galērus sive galērum, sevērus. Ampliatum fit a) cērus, quod in duobus tantum invenitur vocabulis sincērus et prōcērus. Alterius radix in singulus quoque et simplex cernitur, alterum vero ex praepositione pro enatum est, quae, quum in vocalem exeat, apposita terminatione producta est. — b) tērus, quod in uno austērus ex Graeco in Latinum sermonem translato conspicitur. — 3) ōr facit (1) ŏr sive ōs, cf. honŏr, timŏr, amŏr, tumŏr — honōs. Apud Plautum vero or nominativo casu semper productum esse observavit Ritschl in proleg. ad Plautum 174 seq., cf. Fleckeisen in: Jahrbüch. für Phil. u. Päd. 61, 1. p. 44. Sunt vocabula, quorum exitus aliis suffixis videtur auctus esse, quamvis eorum radices investigari non possint. Huc in primis referendum nīdor, quod Pott II, 204. Graeco κνῖσα contulit. Nisi egregie fallor, rūmor naturalem quendam sonum exprimit. Pott I, 213. vocem cum raucus, rudiendo, rugiendo confert et eam ad verbum reducendam esse putat, cuius intensivum sit rumitare. Lūror vero, sive a radice, quae in lūna et lūmen est, derivas, sive cum lūtum quandam habere putas cognationem, ob eam causam productum videtur, quod eius radix in vocalem exit. Līvor quidem a livendo ductum est; in hoc vero *v* esse suffixum intelliges, si cum aliis verbis eiusdem generis contuleris. Neque haesitans affirmo eius radicem ex ea enatam esse, quae in luna, lumen, aliis conspicitur. Nam quod Latini vocalem tenuiorem reddiderint, eius rei causa inde videtur repetenda, quod minorem splendoris vim significare voluerint, cf. Hüser p. 15. n. 17. et p. 21. progr. Cöslin. 1850. Simili ratione factum est ūvor (cf. Varr. l. l. 5, 21, 104.), pro quo in usu est ūmor ex eadem radice ductum. — Certe autem suffixo *t* praeposito ortus est exitus tŏr, qui verborum stirpibus coniungi solet. Quae in vocalem exeunt, eam producunt, cf. amātor, audītor. Excipiuntur dător, sător, stător, quae brevem vocalem recipiunt. Memoratu digna sunt vocabula, qualia sunt solūtor et adiūtor: in illo *v* in *u* mutatum, in hoc elisum est; in utroque vero vocalis rite producitur. Saepe ad exitum cum stirpe coniungendum vocalis copulativa interiicitur, cf. monĭtor, genĭtor. Si tor cum consonante in stirpis fine posita coniunctum in sor mutatur, antecedens vocalis, quamquam natura est brevis, producatur necesse est, cf. divīsor. Sunt et vocabula, quae a substantivis facta in ĭtor et ātor exeunt, cf. ianĭtor, vinĭtor, arborātor. — (2) ōris, cf. primōris. — (3) ōra, cf. aurōra. Varr. l. l. 7, 5, 83. vocem ab aurum derivat. Sed equidem eam ex eius radice litera *r* interposita factam esse arbitror. Me recte iudicare intelliges, si Graecum αὔως contuleris. — (4) ōrus, cf. canōrus, decōrus, sonōrus. — 4) ūr facit (1) ūs, cf. tellūs. — (2) ūris, cf. secūris. — (3) ūra, cf. figūra. Suffixo *t* praeposito fit tūra, cf. captūra, cultūra, censūra. Qui exitus quum vocali apponitur, ea producatur necesse est, cf. nātūra, fētūra, armātūra. Excipitur stătura, quod vocalem servavit brevem. Saepe vocalis copulativa interiicitur, cf. posĭtura, genĭtura. — 4) ūrus in uno obscūrus conspicitur. Id a praepositione obs videtur venire, qua ratione ex pro factum est procerus. Pott I, 243. ex radice vocis σκῦτος derivat, in qua notionem tegendi inesse putat — b) tūrus in māturus exstat, quod equidem ex radice derivo, qua māter venit. Idem iudicat Fest. 122, 4. 125, 14.

IV. Quarta suffixorum compositorum series. A) suffixa brevi vocali instructa: 1) ăries, cf. caesăries. — 2) ĕria sive ĕries in uno maceria sive maceries invenitur, cuius radicem Prudent. Hamart. 227. productam habet: cuius productionis quae sit causa, nescio. Quum vero Prudentium extremae aetatis poetam non ubique in quantitate definienda sequi liceat, in hoc ipso vocabulo subest suspicio eum ab usu veterum poetarum recessisse. Nec quicquam certi ex Ter. Ad. 5, 7, 10. videtur posse concludi. 3) ĕrius, cf. Tiberius, Valerius. — 4) ŭria, cf. decŭria, centŭria,

quae Pott I, 123. 200. II, 493. ex vir orta esse putat. Id vero certum est luxŭria non eadem ratione posse explicari. — 5) ŭrius sive ŭrium, cf. Mercurius, longurium, tugurium. — B) suffixa longa vocali instructa: 1) āria, cf. calvaria, nitraria, picaria, quasillaria, ulceraria. — 2) ārius sive ārium, cf. primarius, adversarius, armentarius, sagittarius, aerarium, diarium. Quo exitu ampliato fit a) tārius, quod in dătarius brevi radici appositum est. Solĭtarius brevem recepit vocalem copulativam. At in prolētārius vocalis, in quam stirps exit, producta est. — b) ūtārius, cf. tolūtārius. — c) ēnārius, cf. mercēnārius. — 3) ērius sive ērium, cf. cantērius, dictērium. — 4) īrium, cf. equīria. — 5) ōrium, cf. cibōrium, consistōrium. Ampliatum fit ĭtōrium, cf. terrĭtōrium. — 6) ūria, cf. pēnūria, quod haud dubie Graeco *πεῖνα* cognatum est. Unde utriusque vocabuli productio explicari possit, nescimus, quippe quae sit radix ignoramus. — 7) ūrium, cf. Lemūria, Remūria.

V. Quinta suffixorum compositorum series. 1) tr facit casu nominativo tĕr. Hic exitus invenitur radice producta in frāter, māter, ūter, quorum primum cum *φρατήρ* ex eadem radice enatum est, alterum, quod cognatum est Graeco *μήτηρ*, eandem habet ac mātuta et māturus originem, tertium vero ortum est, unde et ūdus, ūmor, alia veniunt. Păter vero, quamvis ex pascendo factum videatur (cf. Pott I, 193), tamen brevem recepit vocalem. In accipĭter brevis vocalis copulativa interposita est. — 2) trŭs sive trū, quod in tonĭtrŭs sive tonĭtrū vocali copulativa *i* stirpi coniunctum est. Ampliatum fit ātrus, cf. quinquātrus.

5. Literam *s* suffixam esse testari videtur vocabulum vās, quod recte ad radicem, quae est in vanus et vastus, revocari puto.

I. Prima suffixorum compositorum series. 1) sis, cf. axis, mensis, messis, rasis, quae ab agendo, metiendo, metendo, radendo venire certissimum est. Aliud vero axis, quod tabulam significat, ex radice vocis ascia videtur factum. Cassis ex radice, quae in cătena est, ortum esse puto. At in classis, quod ex calando transpositis literis factum est, litera *s* duplicatur: in Col. Rostr. vero clāsis scribitur. — Ampliatus fit exitus (1) ensis, cf. forensis, lutensis. — (2) iensis, cf. Atheniensis, Hispaniensis. — 2) sa, cf. capsa, fossa, noxa, quae a capiendo, fodiendo, nocendo facta sunt. Mensa ortum est ex radice, quae in eminendo conspicitur. Producitur radix in brīsa; sed vocis origo obscura est. — Ampliatum fit sea, cf. nausea, quod a navis ductum est. — 3) sus, cf. capsus, cuius radix in capiendo est. In cassus litera *s* duplicata est; nam ei cum cavus intercedit quaedam cognatio. Exitu apposito vocalis, in quam exit radix, producitur, cf. pūsus, quod cum puero communem habet radicem. Quod inde derivatur pŭsillus radicem corripit, quod ob accentum mutatum factum est. Nāsus ex eadem ac nāris ortum est radice. Sed in fūsus, si a fundendo venire verum est (cf. Isid. 19, 29, 2.), vocalis ob eam causam facta est longa, quod consonans in fine verbi posita elisa est. Quae sit radix in pīsum, quod Graeco *πίσον* cognatum esse constat, indagare non potui. — Ampliatus exitus fit (1) seus, quod in uno cāseus radice producta invenitur. Id Varr. l. l. 5, 22, 108. 6, 6, 43. a lacte coacto dictum esse putat; Fest. vero 48, 2. dicit a coeundo esse factum. Equidem mihi persuasi vocem repetendam esse a quālus, quod Graecis est *κάλαθος*. Nam Colum. de re rust. 7, 8. lac in vasis, quae *κάλαθοι* vocabantur, coagulatum in iisque caseos pressos esse refert, cf. Serv. ad Virg. Georg. 3, 402. Pallad. Mai. 9. — (2) sius sive sium, cf. anxius, noxius, quae ab angendo et nocendo facta sunt. Quum radix sive stirps vocali terminatur, ea exitu apposito producatur necesse est, cf. indūsium et amāsius, quorum alterum ab induendo, alterum ab amando ortum est. Bāsium vocem esse sonum imitantem mihi persuasi.

II. Secunda suffixorum compositorum series. 1) ăsus in uno carbăsus invenitur. — 2) issa,

cf. mantissa, favissa, vibrissa. — 3) ussa, cf. cērussa, cuius radix cur longa sit explicare non possum. Fortasse ex eēra est ortum. — 4) ōsus, cf. annōsus, damnōsus, dolōsus, periculōsus. Ampliatum fit (1) ĭcosus, cf. bellicosus, pedicosus, petricosus, senticosus, tenebricosus. — (2) ŭlosus, cf. fraudŭlosus. — (3) ĭcŭlosus, cf. meticulosus, ridiculosus. — (4) īcŭlosus in solis febrīcŭlosus et sitīcŭlosus invenitur.

6. Consonans *v* in fine monosyllabae vocis posita non nisi in bōs et nix invenitur. Quae quidem vocabula quamvis brevem receperint vocalem, tamen in iis *v* suffixum putandum est, quippe quod bos unum idemque sit ac βοῦς, nix vero cum ninguis cognationem habeat. De bove me recte iudicare, etiam ex tabulis Iguvinis potest intelligi, in quibus vox illa consonante *v* destituta invenitur, cf. Aufrecht et Kirchhof Ind. s. v. Neque desunt in ipsa lingua latina formae, in quibus litera *v* abest. Nam equidem non dubito, quin a boando veniat; boa et boarius ab ipso bove videntur esse facta.

I. Prima suffixorum compositorum series. 1) vis, quo apposito radicis vocalis producitur. Nam cīvis, quod Ramshorn a verbo ciendi derivat, quippe quum civis in concionem citetur, equidem a pronomine indefinito quis factum esse puto. Quam derivationem si approbes, vocem non solum hominem urbem incolentem sed etiam iuribus quibusdam fruentem significare tibi persuadeas. Neque tamen adverser, si quis eam ex quĭris ortam esse contenderit. Nam quamvis quĭris radicem correptam habeat, tamen ris videtur esse suffixum, ut nihil obstet, quominus civis ex ea natum arbitremur. Clāvis non dubium est quin cum Graeco κλαΐς communem habeat radicem. Neque quisquam erit, qui nāvis ex nando ortum esse neget. Rāvis vero eadem ratione ac rāvus et raucus factum est. Id sonum significare, quem edere solet cuius vox obtusa est, pro certo affirmaverim, cf. Pott I, 213. Iuvat animum advertere ad adiectiva: in iis eandem legem observatam esse invenies. Nam suāvis ex eadem radice ac suādus ortum nemo negabit. Qui acclīvis et proclīvis consideraverit, facile intelliget ea ex radice, quae in clīnando cernitur, esse enata. Lēvis a Graeco λεῖος non diversum esse quisque videbit; neque vero deest radix Latino sermoni: nam originem dedit verbis delendi et linendi. Sunt tamen nonnulla vocabula, quae brevem receperunt vocalem: ăvis, ŏvis, — brĕvis, grăvis, lĕvis. — 2) ve antecedente vocali producta invenitur in conclāve, quod eandem atque clāvis habere originem nemo ignorat. — 3) va, cf. silva, quod haud dubie Graeco ὕλη cognatum est. Si qua radix vocali terminatur, ea ipsa producitur, cf. pāva, de quo supra dixi. Neque est dubium, quin clāva eadem atque clādes enatum sit radice; quam quidem in Graeco κλάειν conspici pro certo affirmaverim. Stīva, nisi fallor, cum stīpes habet cognationem: Varro ipse l. l. 5, 31, 135. vocem a stando derivat. Ūvam Isid. 12, 7, 80. ait ab eo dictam, quod intrinsecus umore sit plena. Inde perspicitur eum vocem ex radice derivare, quae in ūvens, ūdus, aliis exstat. Varr. l. l. 5, 21, 104. dicit uva ab uvore esse ductum. — Exitus ampliatus fit via, quod producta antecedente vocali apponitur, cf. nāvia, quod aeque ac nāvis a nando factum est. Quam gavia habeat mensuram, incertum est, quum poetarum loci desint, ex quibus ea definiri possit. — 4) vus sive vum, cf. alvus, quod ab alendo dicitur (Fest. 8, 2.), arvus, cuius radix in arando conspicitur (Varr. l. l. 5, 4, 39.), corvus, quod bene cum Graeco κόραξ confertur; nomen ab avis voce ductum esse affirmat Varr. l. l. 5, 11, 75. Cervus ex radice Graeci κέρας enatum est. Radicem vocis servus in Graeco ἐρύειν conspici putant. Vocalis, qua radix terminatur, exitu apposito producitur. Nam clāvus cum clāvis cognatum mihi videtur. Clīvus ex radice verbi clinandi ortum esse res est notissima. Pāvus eandem ac pāva et pāvo habet originem. Affirmanti rīvus eadem radice ac rīpa enatum esse equidem non adversabor, quippe quae in ῥέειν quoque inveniatur. Vocem ōvum ex Graeco ᾠόν factum esse omnes consentiunt. Relinquitur, ut de sēvum disseram. Id ex

se praeverbio enatum putaverim. Nam quam Isid. 20, 2, 25. proposuit derivationem probare non possum, quippe qui a sus factum et pro suebum dictum putet. Sed duo sunt vocabula, quae brevem recipiunt vocalem, ăvus et făvus. Exitus vus in adiectivis quoque invenitur, quorum exempla afferre iuvat. Parvus et protervus ex radicibus, quae in adverbio parum et verbo terendi conspiciuntur, venire satis constat. Torvus Pott I, 229. recte a terendo derivat. Sed quum radix vocali terminatur, eam exitu apposito necesse est produci. Nam dīvus eandem habere radicem ac dius sive deus non erit qui neget. Neque dubito, quin gnāvus sive nāvus ex nascendo sit ortum. Prīvus vero ex radice factum est, quae in prior conspicitur: id ab inusitato pris venire constat. Nec aliam rāvus habet originem ac rāvis, de quo supra dixi. Si quis flāvus cum verbo flagrandi cohaerere contenderit, me non habebit adversantem. Dietrich p. 14. vocem literis transpositis ex fulvus ortam arbitratur. Vīvus facile explicabitur, si cum vivendo et vita contulerimus. Sed quae sit radix vocis prāvus, ignoramus. Unum est adiectivum nŏvus, cuius radix corripitur. — Ampliatus fit exitus vius sive vium, cf. oblīvius et oblīvium, quae pariter atque oblivisci ex radice, quae est in linendo et delendo, venire certum est. Suāvium vocabulo suāvis cognatum videtur, nisi id aeque ac bāsium sonum in osculis ferendis editum exprimere tibi persuaseris (cf. Dietrich. p. 21.).

II. Secunda suffixorum compositorum series. 1) āvus, cf. octāvus. — 2) īva, cf. olīva, gingīva, salīva. — 3) īvus sive īvum, cf. cadīvus, nocīvus, olīvum. — Ampliatum fit tīvus, cf. aestīvus, captīvus, festīvus, furtīvus. Qui exitus quum vocali, qua radix exit, coniungitur, ea ipsa necesse est producatur, cf. nātīvus. In dătivus vero et sătivus et stătivus radicis vocalis brevis est. Eiusdem generis adiectiva saepe a verbis fiunt in vocalem *a* exeuntibus, cf. abdicātivus, negātivus, donātivus. Neque desunt exempla, quibus ad exitum cum radice coniungendum vocalem copulativam interpositam esse demonstratur, cf. fugĭtivus, genĭtivus, primĭtivus.

III. Tertia suffixorum compositorum series. 1) erva, cf. căterva, quod cum cătena communem habet originem, et Mĭnerva, cuius radix in mens, memini, reminisci, aliis conspicitur. — 2) ervus, cf. acervus, quod ex eadem atque acus ductum est radice.

7. Suffixum *f* non nisi in his terminationibus invenitur: 1) fa, quod in offa et scrōfa conspicitur; alterum vix est dubium quin ab ore veniat, alterum autem nescio an cum scrōtum conferam. Dietrich p. 22. vocem ad scrobs pertinere dicit. In tūfa idem suffixum esse videtur. Fortasse vox a tumendo venit. — 2) fus, quod radice producta in rūfus invenitur: id ex radice, quae est in rŭber et rŭtilus, enatum esse ostendit rūbigo, cf. Gell. noct. Att. 2, 26. Nec dubitem, quin in tōfus idem exitus conspiciatur.

8. Literam *b* suffigi perspiciemus, si vocem urbs cum orbis et urvus contulerimus, cf. Varr. l. l. 5, 32, 143. Fest. 375, 29. Sed in uno tantum vocabulo eam radici in vocalem exeunti appositam esse me invenisse memini. Plebs enim, cuius radix longa est, quin a verbo pleo veniat, non est dubium. Nec Graecum *πλῆθος* plane diversum est, cf. Heffter Gesch. d. lat. Sprache p. 19.

I. Prior suffixorum compositorum series. 1) bis, cf. corbis, quod Isid. 20, 9, 10. a curvus derivat, et orbis, de quo supra dixi. In uno pūbis radicis vocalis producta invenitur: id eandem ac puer habere originem satis constat. — 2) bēs, cf. plēbes, pūbes. Lābes et tābes utrum ex verbis labendi et tabendi an ex eorum radicibus facta sint, decernere non ausim. Nam lābi, quod ferri significat, ex radice qua lātus ortum esse persuasum habeo, nec dubito, quin tābere a tābum veniat, cuius radix in Graeco *τήκειν* conspicitur. — 3) ba, cf. turba, quod cognatum est voci turma. Barba Germanico bart conferri potest. In glēba radici productae adiunctus est

exitus: id cum vocibus glŏbus et glŏmus quodammodo cohaerere non est causa, cur negemus, cf. Isid. 16, 1, 3. Tŭba vocalem corripuit, quamvis eius radix in vocalem exire videatur, quum eam a sono, qui instrumento illo editur, appellatam esse facile concedas. — Auctus exitus fit bia, qui in tībia radici productae appositus est: eam sonum exprimere, qui illo instrumento editur, persuasum habeo, cf. Isid. 11, 1, 110. De manŭbiae, in quo exitus cum stirpe vocali correpta coiit, iam supra dixi. — Aliud exitus aucti genus est umba', cf. columba, palumba. — 4) bus, cf. balbus, quod a balando venit, morbus, cuius radix in moriendo conspicitur, orbus, quod haud male cum Graeco ἔρημος confertur. Sunt vocabula, in quibus vocalis, qua radix terminatur, exitu apposito producta est: lībum, sēbum, tābum. Unde lībum venerit, non compertum habeo. Sēbum vero ex praeverbio se factum esse iam supra dixi. Radix denique vocis tābum in Graeco τήκειν conspicitur. Alia vocabula exitu apposito brevem recipiunt vocalem, cf. glŏbus. — Auctus fit exitus umbus, cf. columbus, palumbus. Aliud adaucti suffixi genus est erbus, quod in ăcerbus et sŭperbus invenitur. Nam ăcerbus equidem ex radice ăcuendi venire putaverim; cum ācer ipso nihil habere videtur commune.

II. Altera suffixorum compositorum series complectitur caelebs, in quo suffixi vocalis est brevis. Sed unde veniat vocabulum, equidem nescio, nisi ex caecus factum esse statuam: quo probato eum significabit, qui solus vitam degit, uxore caret. Sed quam Fest. s. v. et C. Gavius apud Quintil. 1, 6, 36. dederunt explicationem, eam nullo modo possumus probare.

9. Suffixum *p* radice producta in uno sēps sive sēpes invenitur, de quo Isid. 15, 9, 6. dicit: sēpes munimenta satorum sunt, unde et appellatae. Sed si quis vocem ad praeverbium se revocaverit, me non habebit adversantem. Rectius vero ex radice derivari videtur, quae in σηκός conspicitur. Utcunque res se habet, id certum esse puto, vocis radicem in vocalem exire.

I. Prima suffixorum compositorum series. 1) pis, cf. turpis, quod aeque ac tristis, quocum significatione sua cognatum est, a terendo derivem. — 2) pēs, cf. vulpes, quod nemo non a vellendo derivabit, quamquam Pott I, 149. aliter explicavit. Exitu apposito radix in vocalem desinens producitur, cf. sēpes. Eadem ratione qua sēpes factum est praesēpes, cuius aliae sunt formae praesēpis, praesēpe, praesēpia. Rūpes quoque equidem puto a ruendo derivandum esse, unde et rumpere videtur venire. Qui vocem a rumpendo factam esse mavult, is radicem ob eam causam productam esse dicat, quod significat quod rumpendo disiunctum est. — 3) pa, cf. culpa, quod Doederlein II, 151. ex cellendo ortum esse putat; cui non facile quisquam adversabitur, si vocem cum offensa contulerit: id enim eandem habet significationem. Caepa equidem a caecus derivaverim; id enim significare puto, quod in terra absconditum crescit. Verpa fortasse aliquam habet cognationem cum verna; ni fallor, utriusque vocabuli radix in virendo quaerenda est. Aliter iudicat Lob. path. 70. n. 27. Si Mommsen unt. Dial. 256. sequamur, lympha quoque huc referendum est, quippe quod a luendo derivetur. Exitus quum vocali apponitur, ea producatur necesse est. Nam pūpa haud dubie ex eadem radice ac puer factum est. In rīpa literam *p* ad exitum pertinere satis demonstrat rīvus, quod cum illo communem habere radicem nemo negabit. Cūpa equidem non dubito quin ex radice, qua factum est cūleus, originem traxerit. Huic cognatum esse cōpa cauponam significans dicit Isid. 20, 6, 7. Rāpa vero cum rādix et rāmus eandem habere originem mihi persuasum est. In pāpa quoque radix in vocalem exit, sive vocem esse infantium putas sive a pascendo derivas, cf. Pott I, 193. Unde scōpa et stūpa facta sint, nescio. Vox lŭpa brevem recipit vocalem, quamvis ortum sit ex radice in vocalem exeunte, quae clamorem a bestia editum imitari videtur. Ad quam sententiam confirmandam Graecum λύκος conferri potest. — Ampliatus exitus fit pia, quod in prosāpia radice producta invenitur. Nam id

a serendo venire pro certo affirmaverim. De praesēpia supra dixi. — 4) pus, cf. lippus, quod equidem a liqucndo derivaverim. Exitu illo apposito vocalis, qua exit radix, producitur. Nam non dubium est, quin cāpus ex radice verbi castrandi veniat. Pūpus eandem ac puer habet originem. Si quaeras, unde rāpus et rāpum veniant, ea vocabulis rādix et rāmus cognata esse invenies. Neque obstīpus a stando venire quisquam negabit, cf. Pott I, 198. Reliqua sunt nāpus, scāpus, scrūpus, quae unde orta sint non potui investigare. Sed lŭpus recepit brevem vocalem.

II. Altera suffixorum compositorum series. 1) ăpa in uno alăpa invenitur. — 2) ĭpa, cf. canĭpa (cf. carm. frat. arv. apud Marin. 3.), quod ex canna ortum communem cum canistrum et *κάνεον* habet originem, cf. Lob. path. 151. — 3) ŭpis in volŭpis a verbo velle ducto conspicitur. — Adeps ex radice verbi apiendi videtur esse factum.

III. Tertia suffixorum compositorum series vocabula exitu plus sive plum instructa complectitur, cf. amplus, quod ego ex praepositione am sive ambe derivaverim. Quae a numeralibus veniunt adiectiva exitum aut brevi vocali, in quam radix exit, adiungunt aut ad illum cum stirpe connectendum vocalem copulativam interiiciunt, cf. dŭplus, trĭplus, quadrŭplus, quintŭplus. Qua ratione substantiva in plum desinentia facta sint, demonstrant templum et exemplum, quorum alterum a Graeco *τέμνειν*, alterum ab eximendo venit. Uterque exitus diverso modo videtur ortus: nam plus cum pleo cognationem habere crediderim, plum vero ex simplici lum ortum puto, cui *p* praefixum est propter literam *m* praecedentem.

10. Pauca sunt vocabula, quae suffixum *c* recepisse pro certo affirmari potest. Calx literam *c* affixisse satis demonstrat quod inde derivatur caliga. Vocabulum lux originem traxit ex radice, qua non solum lūna et lūmen, sed etiam lustrum et illustris enata sunt. Varronis l. l. 6, 8, 79. haec sunt verba: dicitur lucere ab lucre; ab luce dissolvuntur tenebrae. Equidem vero radicem, qua vox orta est, splendorem profundere significare crediderim, cf. Ramshorn Syn. 849. Quum igitur radix in vocalem exeat, non est mirum, quod producatur. Huc sine ulla dubitatione referendum est inusitatum līx, quod in bilīx et trilīx invenitur. Id ex radice factum esse, qua līnum, līcium, alia orta sunt, certum videtur. Sed alia est causa, qua pax et vox longam receperint vocalem: eam ex ipsa vocabulorum significatione esse repetendam supra memoravi. Noli vero mirari, quod dux correptum sit, quamvis a dūcendo radice producta veniat: nimirum in hoc lege quadam mutata est mensura.

I. Prima suffixorum compositorum series. 1) cis exitum esse non negabit qui dulcis, quod una cum indulgendo factum videtur, ex eadem radice ac dolus, cuius simplicissima forma in Graeco *δέλεαρ* reliqua est, enatum esse sibi persuaserit. Eiusdem generis vocabula sunt fascis, quod simul cum fascia Germanico faden potest conferri, et piscis, in quo eandem atque in pinna sive penna conspici radicem equidem putaverim: eam in petendo, impetus, praepes et in Graecis *πέτεσθαι* et *πίπτειν* inveniri supra commemoravi. Huc retulerim etiam exitum quis, qui in līquis radice producta cernitur. — 2) ca, cf. esca, quod haud dubie ab edendo venit. Hic exitus vocali producta invenitur in bāca, brāca, mīca, pīca, rīca, sīca, spīca, trīcae. De bāca cf. Ramshorn Syn. 1051. et Düntzer Wortb. 34. De brāca et mīca nihil compertum habeo. Pīca a voce nomen videtur accepisse. Neque vero contradixerim, si quis vocem ex radice vocis pix quam a prima origine in vocalem exiisse credibile est, ortam esse contenderit. Rīca dicit Varr. l. l. 5, 29, 130. ab ritu ductum, quod Romano ritu sacrificium feminae quum facerent, capite velarent. Equidem vero vocem a Graeco *ῥέειν* derivaverim, quod vestimentum tenue a capite demissum videtur significasse, cf. Fest. 289, 19. 277, 5. Spīca vero ex radice, quae est in spīna, factum videtur.

Trīcae Düntzer 39. a terendo ortum esse affirmat, neque quidquam potest afferri, quod eius sententiae repugnet. Num sīca reducendum sit ad sĕcandum dubitari potest. Sed vocalis productio non in causa est, cur illam derivationem reiiciamus. Nam quum rem significet copia et facultate secandi instructam, productio facile explicatur. — Ampliatum fit sca, cf. musca, quod Graeco μυῖα conferas. — 3) cus exitum esse multis exemplis probatur. Nam parcus Gell. noct. Att. 3, 19. recte ab eo, quod est parum et parvum, denominatum esse dicit. Vocabuli paucus radix in pauper quoque conspicitur (cf. Dietrich. p. 11.), neque raucus a ravus diversum est. Exitus quum vocali, qua terminatur radix, adiungitur, eam produci necesse est. Fīcus enim Isid. 17, 7, 17. Latine a fecunditate vocari ait: unde eum vocem a verbo fio derivare intelligitur. Fūcus duplicem habet significationem: aut enim est gramen in mari nascens aut apis pariens: utrumque vero vocabulum quis negabit ortum esse ex verbo fuo? Graecum quoque φῦκος eandem habet radicem et originem. Vocabulum lūcus haud dubie ex radice factum est, quae in lux, lumen, luna, lustrum, aliis conspicitur et silvam significat deorum sacram, in qua virgulta et dumeta succisa sunt. Germanice dixeris Lichtung. Neque vero reprehenderim eum, qui a luendo ortum censeat et silvam interpretetur, in qua lustra sive piamina fiunt. Utrum sūcus ex radice sugendi derivatum sit, an pariter ac suculae ex Graeco ὕειν, quae radix Latino sermone *s* in principio non posito in ūdus, ūvor, ūmor, aliis invenitur, factum esse putem, in ambiguo versor. Sunt multi qui vīcus ex οἶκος ortum esse censent: sed Varr. l. l. 5, 32, 145., qui dicit: in oppido vici a via, quod ex utraque parte viae sunt aedificia, rectissime videtur iudicasse. Ad quam derivationem optime convenit definitio, quam Fest. 321, 26. proponit (cf. Isid. 15, 2, 12. 22.). De pīcus et spīcus idem dicendum est, quod supra de pīca et spīca exposui. Unde mūcus veniat, nescimus, nisi a mungendo derivare velimus. Huc referendum esse censeo oblīquus, quod una cum līquis ex radice factum est, quae etiam in līmus, līmes, līmen, aliis conspicitur. Idem suffixum cernitur in aequus, ex cuius radice ortum est aemulus. At in iŏcus, lŏcus, fŏcus radix correpta est, quamvis videantur esse derivata. Nam Varro apud Isid. 20, 10, 1. focos ait dictos, quod foveant ignes: nam ignis ipsa flamma est: quidquid autem ignem fovet, focus vocatur, seu ara sit seu quid aliud, in quo ignis fovetur. Iŏcus vero communem cum iuvando habet radicem. Lŏcus unde veniat, non inveni. — Ampliatum fit scus, cf. priscus, fuscus, luscus. — 4) cūs quarta declinatione conspicitur in sĕcus correpta radicis vocali; id quin a sĕrendo factum sit, non dubito.

II. Secunda suffixorum compositorum series. 1) ăc facit casu nominativo ăcum, quod in amnăcum, camăcum, gaunăcum invenitur. Nam abăcus ex tribus literis, a quibus literarum series incipit, originem videtur traxisse et significare tabulam abecedariam. Similem iam Dilthey in etym. Parallelw. p. 5. proposuit derivationem. Alii vocem a Graeco ἄβαξ factam esse censent. Sed ni fallor ἄβαξ eadem ratione qua Latinum abacus ortum est. — 2) ĭc facit (1) ex, cf. apex. — Ampliatum fit a) dex, quod in cōdex et pōdex invenitur. Horum alterum quandam cum cōlis sive caulis habere cognationem iam supra commemoravi, alterum vero a verbo pedendi, in quo *d* videtur suffixum, venire recte contenditur. — b) lex, quod in īlex et pūlex inveniri puto. De īlex quidem nihil habeo compertum; sed pūlex ex pungendo litera *g* extrita factum esse mihi persuasi. In cŭlex et sĭlex radix brevis est. — c) mex, cf. pūmex, rāmex, tōmex, quorum primum Düntzer 38. ex radice, quae est in pūrus, recte derivat, alterum vero aeque ac rāmus ex radice videtur venire, quae in rādix, rāpa, aliis conspicitur, tertium denique a Graeco θῶμιξ non alienum est et communem cum tōmentum habet originem: fortasse eadem radix in verbo obturandi invenitur. Unde veniat cīmex, nescio, nisi ex ciendo ortum esse statuam; quam quidem derivationem non prorsus reiiciendam esse ostendit vermis, quod a vertendo derivatur. Isid.

Theodorus, Flavius Mallius
Liber de metris

12, 5, 17. dicit: cimex de similitudine cuiusdam herbae vocatur, cuius foetorem habet. Sed quam herbam intellexerit, equidem nescio. In rŭmex radix corripitur: unde colligi potest literam *m* adhaerere radici. — d) rex, quod in cārex, mūrex, sōrex invenitur. Quae vocabula quam habuerint originem incertum est. Isid. 12, 3, 2. dicit: antiqui soricem sauricem dicebant. Inde fortasse concludi potest vocem non alienam esse ab adiectivo saucius et verbo sauciandi. Neque tamen in sorex radix semper producitur. Longa quidem est apud Seren. Sammon. 4, 57. et poet. in Anth. Burm. 2, 452.; sed corripitur ab auct. carm. Phil. 62. et poet. in Anth. Burm. 2, 253. Si quis vocem Graeco ὕραξ conferat, nihil proficere videtur. Qui mūrex ex eadem radice ac mūrus et moenia derivet, eum ego non reprehenderim. Sunt qui ab ipso mus ortum putent: ad quam sententiam confirmandam musculus conferri iubent, quod genus quoddam muricum significet. — e) tex, quod in uno frŭtex correpta radice invenitur. — (2) ix, cf. calix, filix, larix, salix, varix. — Ampliatum fit a) nix in fornix ex radice, quae est in fŏrum, ducto. — b) endix, cf. coxendix, claxendix, cf. Schneider Formenl. II, 187. — (3) ĭca, cf. alica, fabrica, brassica, manica, vomica. Huc etiam silĭqua retulerim. Ampliatum fit a) tĭca, cf. mantica, pertica. — b) ārĭca, cf. falārĭca. — (4) ĭcus sive ĭcum secunda declinatione, cf. vitricus, panicum, ulpicum. Frequentissimus est exitus in adiectivis, cf. bellicus, civicus, orbicus, urbicus. Aliis suffixis accedentibus fit a) tĭcus sive tĭcum, cf. rusticus, canticum. Quum radix in vocalem exeat, eam produci testimonio est trīticum, quod a terendo venire Varr. l. l. 5, 22, 106. et Isid. 17, 3, 4. viderunt. — b) brĭcus, cf. lūbricus, quod ex radice vocum lutum, illuvies derivatur. Itaque ad luendum revocandum est. — c) ātĭcus sive ātĭcum, cf. aquaticus, fluviaticus, silvaticus, erraticus — viaticum, balneaticum. — d) ēlĭcus, cf. famelicus. — e) esticus, cf. domesticus. — (5) ĭcus, quarta declinatione, cf. porticus.

III. Tertia suffixorum compositorum series: 1) āc facit casu nominativo (1) ax, cf. fallax, minax, rapax, tenax. Vērax venit a vērus, līmax a līmus, cf. Varr. l. l. 7, 3, 64. — (2) āca, cf. cloāca sive cluāca, quod a cluo derivatum est (cf. Plin. n. h. 15, 29, 36. Serv. Virg. Aen. 1, 720. Qui quidem exitus maxime in nominibus herbas significantibus invenitur, quae in ĭlāca, ŭlāca, ĭnāca desinunt: plurima eorum derivata sunt a substantivis in ĭla, ŭla, ĭna exeuntibus, cf. porcĭlāca, lingŭlāca, postŭlāca, pastĭnāca, proserpĭnāca. — (3) ācus, cf. merācus, opācus. Ampliatum fit ēnācus in helvēnācus. — 2) ēc facit casu nominativo ex in alex et vervex. Cur in ālex radix producatur, equidem nescio. Mihi in mentem veniebat alex, pro quo codices habent hālex, ex verbo halandi esse factum, nisi ex eius radice suffixo *l* litera adaucto ortum esse statuendum est. — 3) ĭc facit (1) ix, quod non nisi aliis suffixis auctum inveni: a) bix, cf. vībix, quod Fest. 369, 21. a vi dictum esse affirmat. Aliter videtur indicare Varr. l. l. 7, 3, 63., qui dicit: vibices excitatum verberibus corpus. Si quis vocem a viendo derivaverit, ego eum non reprehenderim. — b) dix, quod in lōdix, rādix, spādix conspicitur. Horum primum radicem cum lōrum habere videtur communem, alterum ex radice enatum est, qua rāmus et rāpa, tertium vero Graecum esse et a verbo σπάω venire affirmant Gell. noct. Att 2, 26. 3, 9. Isid. 12, 1, 49. — c) lix, quod in uno fēlix producta radice invenitur: id a feo venire certissimum est, cf. Fest. 92, 10. — d) nix, cf. cornix, quod cum corvus et Graeco κορώνη communem habet originem. Exitu apposito vocalem, qua radix terminatur, produci indicio est iūnix, quod quin ex eadem radice qua iuvenis enatum sit, non est dubium. — e) trix, quod vocali productae apponi solet, cf. nātrix, accusātrix, amātrix, delētrix. Consonans *v* exteritur: quo facto antecedens vocalis producitur, cf. adiūtrix. Saepissime vocalis copulativa interseritur, quae positionis vi rarissime producitur, cf. genĭtrix, monĭtrix, merĕtrix. Memoratu dignum est cicātrix, quod eius

radix ignoratur. — (2) ica, cf. rubrīca, postīca. Lōrīca a lōrum, nāsīca a nāsus facta sunt. Formīca, quod haud dubie a forus venit, exitum litera *m* adauxit. Quae sit radix in vēsica difficile est dictu. Isid. 11, 1, 137. vocem a vas derivat. Equidem vero eam ex radice, quae in vestis et vesper conspicitur, factam esse putaverim, ita ut velaminis quoddam genus significet. Qua sententia approbata literam *s* interpositam esse statuamus necesse est, cf. rēsina. Aliam viam explicandi ingressus est Lob. path. 340., qui dicit: de Latino vesica vix diiudicari potest utrum a *φύσκη* ortum sit an a *φύσιγξ*. Lachmann Lucr. 6, 130. scribit vensica et in commentario de voce disserens (p. 357.) Capr. 2246, 32. dicentem: vensica n habeat, quoniam non est sine vento, auctorem appellat. Sunt et vocabula, quae exitum litera *t* praefixa auxerunt, cf. lectīca, urtīca. — (3) īcus, quod in his vocabulis invenitur: amicus, anticus sive antiquus, apricus, lumbricus, mendicus, pudicus, posticus. Ampliatum fit ĭlīcus, cf. umbĭlīcus. — 4) ōc facit casu nominativo ox, cf. atrox, ferox. Derivatio vocis vēlox doctos homines multum vexavit. Prisc. 638. eam a vēlum venire dicit. Aliam explicandi viam ingressi sunt Ramshorn 261. et Düntzer 41: uterque inter se dissentiunt. Equidem puto a vehendo esse derivandam aeque ac vēlum: exitum auctum esse litera *l* praeposita non est causa cur offendamur, quippe in aliis quoque vocabulis eadem litera inveniatur, cf. fēlix. — 5) ūc facit casu nominativo (1) ūca, cf. aerūca, ballūca, corrūca, lactūca, verrūca. Si quis quaerat, cur in ēruca radix sit longa, ad vocem ēr, unde illud venire puto, animum revocet. Incertae sunt originis festūca et fistūca, in quibus exitus suffixo *t* auctus videtur. — (2) ūcus, cf. albūcus, cadūcus, mandūcus, sambūcus.

IV. Quarta suffixorum compositorum series. 1) erca, cf. noverca. — 2) ercus, cf. lupercus. Sed sunt qui ercus ex arcendo ortum esse censeant. — 3) ulcus, quod non nisi *b* praeposito invenitur, cf. bŭbulcus, sŭbulcus, in quibus quod radix correpta sit, in causa est accentus. — 4) unca, quod in uno spēlunca cernitur. In hoc literam *l* ad exitum pertinere facile intelliges, si spĕcus et Graecum *σπέος* et *σπήλαιον* contuleris (cf. Dietrich p. 21.): unde non mirum est, quod radix producatur. — 5) uncus, cf. averruncus. — 6) usca sive uscum, quod in lābrusca sive lābruscum invenitur. Vocem Isid. 17, 5, 3. a labrum derivat, quod in terrae marginibus nascatur. Equidem vero putaverim eam a lātus venire et denominari, quod late crescat: si quis meam sententiam approbet, ei exitum illum literis br adauctum esse statuendum est: quo facto radicis productio facillime explicatur.

V. Quinta suffixorum compositorum series. 1) ĭceus, cf. paniceus. — 2) ĭcia, cf. lanicia. — 3) ĭcius sive ĭcium, cf. gentilicius, patricius, tribunicius, lanicium. Vox ēricius ab ēr ducta est. — 4) āceus, cf. herbāceus, ferrāceus, betāceus, cretāceus, arenāceus. — 5) ācia, cf. rapācia. — 6) ācium, cf. pirācium, pistācium. — 7) īcius, quod in novīcius et multīcius invenitur. His accenseri potest Plautinum titivillīcium, cf. Fest. 366, 13. Suffixo *t* praeposito fit tīcius, cf. adventicius, advecticius, empticius. Vocalis, qua radix desinit, producitur, cf. commendātīcius. Neque deest vocalis copulativa, cf. suppositīcius. — 8) ūceus, cf. pannūceus. Cādūceus haud dubie ex eadem radice atque *κηρυκεῖον* venit: quo ponderato exitum *d* litera auctum esse intelligitur. Radix vero legitime producitur. — 9) ūcia, cf. fidūcia.

11. Literam *g* esse suffixam, id testatur frux, quod a fruendo venit: quam ob rem longam habet vocalem, cf. Varr. l. l. 5, 6, 37. 5, 21, 104. Idem suffixum receperunt conflux et strix, quorum alterum a fluendo, alterum ex radice strīdendi originem duxit, cf. Isid. 12, 7, 42. Alii vero strix a stringendo derivant, quod avis illa infantium sanguinem elicere putatur, cf. Knötel Zeit-

sehr. f. Alterth. 1852. 2. p. 126. Sed in utraque voce vocalis est eorrepta, cf. Non. 62, 10. Prop. 4, 5, 17. Tamen Plautus Pseud. 3, 2, 31. eam in strix produxit.

I. Prima suffixorum compositorum series. 1) ges in uno strāges radice producta invenitur, quod a sternendo venire nemo negabit. Simili ratione ortum videtur conflāges, cf. Fest. 40, 10. Isid. 14, 8, 27. vocem confrages scribit et a frangendo derivat. — 2) ga producta antecedente voeali in tribus tantum vocabulis inveni: nūgae, rūga, strīga. Si quaeras, unde veniant, dicenti mihi primum ex radice verbi nuendi, alterum a ruendo, tertium ex strīdendo esse factum non adversaberis. — Ampliatum fit gia, cf. arrūgia, quod a ruendo venit. — 3) gus sive gum, quod quum radici in vocalem exeunti apponitur, eam produei necesse est. Nam pāgus multi sunt qui a pascendo derivent. Qui autem vocem a pangendo ortam esse malit, is radicem eius productam esse statuat, quod rei perfectae insit notio. Idem suffixum in sāgus conspici mihi persuasum est. Nam si verbum sapiendi eum eo contuleris, id eandem habere radicem invenies, quamvis in eo brevis sit vocalis. Ne tibi mira videatur illa quantitatis diversitas, advertas, quaeso, animum ad săgax, quod ad eandem radicem revocandum est, cf. Cic. de div. 1, 31. Fest. 321, 1. Frāgum nomen ab odore accepit. Nam fragrare odorem exhalare significat; in quo verbo radicem in voealem desinere intelliges, ubi flagrare ei contuleris. Nam non solum simili ratione factum esse, sed etiam ex radice profectum videtur, quae illi cognata est. Flagrare ex flando ortum esse persuasum habeo. Neque facere possum, quin fāgus aeque ac Graecum φηγός a verbis fari et φάναι derivem et utramque vocem significare arborem putem, quam veteres oracula voce quadam edere opinabantur. Sunt alii, qui vocem a Graeco φαγεῖν derivent, quod arbor illa fructus fert, quibus vescuntur homines. Sed eos si sequamur, non possumus intelligere, unde longa vocalis sit orta. Quam Pott I, 112. proposuit sententiam, ea non plus ad longam vocalem explicandam videtur conferre. Corrūgus haud dubie a corruendo venit. Unde vero trāgum originem traxerit, equidem nescio.

II. Secunda suffixorum compositorum series unum tantum calĭga complectitur.

III. Tertia suffixorum compositorum series ea eomplectitur vocabula, quae in īgium exeunt: sunt fastīgium et vestīgium. Quum fastigium recte ad Graecum φαίνειν reducatur, necesse est, ut ipsum exitum suffixo st adauctum esse statuamus. Quam rationem si in explicanda voce vestigium sequamur, nihil obstat, quominus ab eundo factam esse arbitremur. Nam id litera *v* praefixa augeri iam supra exposui. Ex eadem radice factum est vestĭbulum, cuius significatio derivationem, quam proposui, videtur probare, cf. Gell. noct. Att. 16, 5. Pott I, 198. aliter iudicat.

12. Suffixum *d* non nisi in praes invenitur, quod multi sunt qui a praepositione prae factum esse opinentur.

I. Prima suffixorum compositorum series. 1) des, cf. aedes, quod Fest. 13, 3. ab aevum factum esse putat; quam derivationem si approbemus, vox domicilium significat, in quo homines aetatem degunt. Nec dubito quin clādes a Graeco κλάειν veniat, quod in clāva quoque conspicitur. At in fĭdes radix eorrepta est; id enim ex radice vocabulorum fībra et fīlum enatum esse contenderim. — 2) da, cf. praeda, quod, quum significet quod milites prae se agunt et ferunt, a praepositione prae venire mihi persuasi, forda, quod Varr. l. l. 6, 3, 15. a ferendo derivat, cauda, quod equidem ex radiee, quae in caulis inest, factum esse putaverim. Itaque si quis suāda ex radice, quae est in suāvis, ortum esse existimet, non est eausa, cur reprehendamus. Neque iis adverser, qui āplūda a verbo pluendi cum praepositione *a* eoniuncto derivandum esse putent. — 3) dus, cf. fordus a ferendo duetum (cf. Varr. l. l. 6, 3, 15.). Absurdus Curtius (in Zeitschrift für vergl. Sprachforsch. 3 H. p 267.) ad radicem voeis susurrus revocat. Aliter iudicat Doederlein

(in Erläuterung. z. Vocabular. p. 23.), qui vocem ex sardare (cf. Fest. 323, 6.) ortam esse censet. Sunt complura adiectiva, quibus antecedente vocali producta exitus appositus est, quippe quod radix in vocalem exeat. Nam crūdus quin ex radice substantivi cruor veniat non est dubium. Neque suādus cum suāvis communem habere originem negari potest. Qui ūdus ex radice, quae in ūvens, ūva, ūvidus, ūmor, aliis invenitur, derivat, is recte videtur iudicare. Nec a vero aberrare me puto, si nūdus ex praeverbio ne et radice, quae est in induendo et exuendo, enatum esse existimem. Quam quidem sententiam iam Voss protulit; nec Pott I, 235. eam reiicit. Simili ratione sūdus ex praeverbio se et radice vocis ūdus ortum esse affirmat Fest. 294, 24. Qui fīdus communem quodammodo habere cum pius radicem contenderit, eum non dignum esse reprehensione supra dixi, cf. Dietrich. p. 27. Sunt et substantiva in exitum dus desinentia, quae antecedentem vocalem producunt; quae quidem productio inde explicatur, quod exitus radici in vocalem exeunti appositus est. Lūdus enim equidem non dubito quin ex radice vocabuli lustrum veniat et apparatum splendidum significet. Nīdus et nōdus unde originem traxerint, incertum est: attamen inter ea et verbum nendi cognationem quandam intercedere putaverim. Vădum quamvis ex Graeco βάω ortum videatur, tamen brevem recepit vocalem.

II. Secunda suffixorum compositorum series. 1) ĕd facit (1) ĕda, cf. essĕda. — (2) ĕdum, cf. essĕdum, exĕdum. — 2) ĭd facit (1) ĭs, cf. capis. Ampliatum fit pis, quod in cuspis et lăpis invenitur. Nam cuspis a quatiendo derivaverim, lăpis vero ex Graeco λᾶς ortum est; sed quod in eo radix correpta sit, dignum videtur quod memoretur. Pott I, 231. cuspis a cudendo factum esse putat. — (2) ĭda, cf. cassida, crepida. — (3) ĭdus, cf. avidus, cupidus, pavidus, umidus, albidus. Litera *r* auctus videtur exitus in lūridus et lāridum. Lūridus eadem ac lūror factum est ratione, de cuius derivatione iam supra exposui. Lāridum vero cum Graeco λᾱρινός communem habet originem; quae autem sit radix, ignoratur.

III. Tertia suffixorum compositorum series. 1) ād facit āda in uno cicāda. — 2) ēd facit (1) ēs, cf. hērēs, de cuius etymo diversae inter se proferuntur sententiae. Alii enim vocem ex Graeco χηρός factam esse putant; Isid. 5, 25, 1. 9, 5, 1. ab aes derivat. Sunt alii, qui ex hĕrus ortam esse arbitrentur; qui ita statuit, vocalis productionem explicare non potest, nisi ob eam rem factam esse sibi persuadeat, quod hēres significat non eum, qui hĕrus fit, sed qui factus est. Quid vero? si hĕrus et hēres ex eadem quidem radice orta esse, sed in illo suffixum *r* vocali correpta, in hoc vocali producta ei adiunctum arbitremur? Quae quidem sententia ei non displicebit, qui ut vocabula illa communem cum hemo habere originem sibi persuadeat impetrare a se poterit. In mercēs suffixum litera *c* praefixa auctum est: nam a merendo venit, cf. Varr. l. l. 5, 7, 44. 5, 36, 177. — (2) ēdus, cf. verēdus. — 3) ōd facit ōs, quod in uno custōs invenitur. Exitum litera *t* adauctum esse inde apparet, quod a curando derivatum est. — 4) ūd facit (1) ūs, cf. palūs. — (2) ūda, cf. corrūda, palūda.

IV. Quarta suffixorum compositorum series. 1) nd facit (1) ns, cf. frons sive fruns, quod aeque ac frux, fructus, frumentum, frutex, alia a fruendo derivandum est. — (2) nda, cf. unda, quod haud dubie ex radice ortum est, quae in uvens, udus, uvidus, urina, umor, aliis invenitur. — (3) ndus, cf. mundus, quod Varr. l. l. 6, 2, 3. Fest. 143, 1. Isid. 13, 1, 1. a movendo factum esse affirmant. Unde vero veniat mundus ornamenta muliebria significans, nescio, nisi a μύσσειν sive a mungendo factum esse statuam. Pott I, 240. vocem ad radicem Sanscrit., cuius notio est ornare, reducit. Multi sunt, qui Graecum κόσμος per mundum esse translatum censent, ob eamque causam quam Varro, Festus, Isidorus proposuerunt derivationem plane reiiciunt. — 2) enda, cf. Adolenda, Commolenda, Coinquenda. — 3) undus, cf. secundus, rotun-

dus, crepundus, labundus, oriundus. Ampliatum fit (1) bundus, quo apposito vocales *a* et *i*, quibus verborum stirpes terminantur, produci necesse est, cf. errābundus, iactābundus, indignābundus, lascivībundus. Plerumque vero vocalis copulativa interiicitur, cf. furĭbundus, nitĭbundus, gaudĭbundus, pudĭbundus. — (2) cundus, quod ita radici coniungi solet, ut vocalis, in quam illa exit, producatur, cf. fācundus, quod a fando derivatur, cf. Varr. l. l. 6, 7, 52. Fēcundus ab inusitato verbo feo factum est. Si quae radix in consonantem *v* exit, ea extrita, antecedens vocalis producitur, cf. iūcundus, cui cum iuvando communis est radix. Attamen interdum vocalis copulativa interiicitur, cf. rubĭcundus Multa eius generis vocabula ex stirpibus verborum fiunt, quibus exitu apposito vocalis, qua terminantur, producatur necesse est, cf. verēcundus, irācundus.

13. Literam *t* suffixam esse multis vocabulis luculentissime demonstrari potest. Nemo enim dubitabit, quin fors, gens, mors*), sors a verbis ferendi, gignendi, moriendi, serendi veniant. Neque causa est, qua mens ad verbum meminisse, cuius radix in reminiscendo quoque et comminiscendo et monendo cernitur, neque a Graeco μένος plane aliena est, non revocemus, cf. Varr. l. l. 6, 6, 43. Nec dubito quin mons recte ad radicem reducatur, quae in verbo eminendi conspicitur. Pars Graeco πορεῖν cognatum videtur. Ars quoque recte a Graeco ἄρειν derivatur, a quo et armus et armentum facta sunt. Cohors ex radice, quae in Graeco ἕρκος conspicitur, originem traxit. Suffixum quum radici apponitur, quae vocali terminatur, ea produci solet. De eiusmodi vocabulis iam in priore huius libelli parte (p. 6.) disserui.

I. Prima suffixorum compositorum series. 1) tĭs, cf. vectis, quod a vehendo venit, pestis, cuius radix in pessum conspicitur, fortis, quod a ferendo derivatur, antis, quod ex ambe, pro quo am sive an invenitur, factum esse dixerim, lactes, cuius originem in laciendo inveniri puto (cf. Plin. n. h. 11, 37, 79.). Postis haud dubie a ponendo venit, cuius radix est pŏs. Qui exitus quum vocali, in quam exit radix, apponitur, eam produci indicio est vītis, quod eandem ac vīnum habet originem, cf. Varr. l. l. 5, 6, 37. 5, 21, 102. Simili ratione factum esse mītis mihi persuasum est, quamvis eius radicem investigare non potuerim. Sed in cŭtis, rătis, sĭtis brevis est vocalis. Ampliatus fit exitus stis, cf. vestis, quod cum vesper cognationem habere constat; utriusque vero vocis, ni fallor, in Graeco ἕννυμι invenitur radix recteque videtur iudicare Varr. l. l. 5, 29, 103., qui vestis et vēlum eadem radice nata esse contendit. Num hostis, cui cum hospes communis est origo, huc possit referri, incertum est; sed si reputaveris nihil obstare, quominus inter utramque vocem et homo intercedat cognatio, non reprehendes qui litera *s* exitum tis auctum putet. Pari modo litera *s* interiecta tristis ex terendo ortum esse puto. — 2) tēs, quod suffixum esse cautes sive cōtes optime ostendit: nam quin a cavus veniat, vix ulla potest esse dubitatio. Sunt et crātes et vātes, quae quod radicem produxerint, non absurdum est statuere suffixum tes recepisse. Unde crātes ortum sit, invenire non potui: nam id a Graeco κεραννύναι derivare equidem non audeo. De vātes vero optime exposuit Düntzer p. 65. Is enim Caprum, qui p. 2250. dicit vates olim vacios appellatos esse, secutus eius radicem in Graeco βάζειν se invenisse putat. Qua sententia approbata facile vocalis productio explicatur: facta est enim litera *c* extrita. — 3) tĕ in uno rēte radice producta invenitur. Id fortasse a praepositione re factum est. — 4) ta, quo apposito antecedens vocalis producatur necesse est. Nam sēta equidem a serendo derivaverim, recteque cum crinis, quod ex crescendo ortum est, conferri puto. Qui dubitat, quin seri crescendi notionem habere possit, is, quaeso, in mentem revocet seges, quod significat non

*) Dietrich p. 7. mors Graeco βροτός confert et ex eo derivat.

quod satum est, sed quod in agris crevit. Neque facere possum, quin bēta ex eadem radice ac bēlua et bestia enatum esse putem; eam vero ex mea quidem sententia cum feo cognatam esse iam supra dixi. Qui mēta a meando derivet, is non vereor ne in reprehensionem incurrat. Flūta haud dubie a fluendo venit. In crēta et rūta quae sint radices, ignoramus: sed in his quoque ta exitum esse nobis coniicere licet. In volūta, quod a volvendo venit, consonans *v* in productam vocalem *u* transiit. At in rŏta, quod Isid. 20, 12, 1. 20, 15, 1. a ruendo derivat, radix correpta est. Idem factum est in nŏta, quamvis sine ulla dubitatione a noscendo veniat. — Ampliatus exitus fit a) sta, cf. crista, quod ex crescendo factum videtur, unde et crinis venit. Cista una cum Graeco κίστη, nisi fallor, a κεῖσθαι ortum est. Crusta Lob. path. 94. not. 26. a cruor derivat. — b) tia, quo apposito radix in vocalem exiens producitur, cf. argūtiae, indūtiae, minūtiae, quae ab arguendo, induendo, minuendo facta esse quisque videbit. Simili ratione ortum est astūtia. Plerumque vero stirps et exitus vocali copulativa interiecta inter se coniunguntur, cf. amicitia, avaritia, pigritia. Hic exitus adauctus fit stia, cf. bestia, de cuius origine iam dixi. — c) tua, quod in stătua cum radice correpta coaluit. — 5) tus sive tum, cf. hortus, quod communem cum Graeco ἕρκος habet radicem. Exitu apposito vocalis, in quam radix desinit, producitur. Nam fātum a fando venire certissimum est, cf. Varr. 6, 7, 52. Simili ratione facta sunt lētum, spūtum, strātum, quorum primum a radice, quae est in delendo (cf. Prisc. 665. 898. et Fest. 115, 9.), alterum a spuendo, tertium a sternendo originem traxit. Scūtum cum Graeco σκῦτος communem habere videtur radicem. Lūtum, herbam, qua tingitur, aut colorem ex illa pressum significans, a radice vocabulorum lūror et lūridus profectum esse nescio an pro certo affirmare liceat. At vōtum a vŏvendo ortum est; in eo *v* consonantem extritam antecedentemque vocalem productam esse intelligitur. Quae vero sint radices in prātum, scrōtum et scrūta compertum non habeo. Sunt autem duo substantiva illo exitu instructa, quorum radix corripitur, frĕtum, quod Varr. l. l. 7, 2, 22. a fervendo factum esse affirmat*), et lŭtum, quippe quod coenum significet: id a luendo derivare non est absurdum. His accenseri potest defrŭtum, quum a defervendo derivetur. Magnus est numerus adiectivorum, quae exitum tus receperunt, cf. altus, artus, cautus, certus, iustus, stultus (cf. stolidus), alia. Quum radix vocali terminatur, eam produci necesse est; cuius quidem rei exempla sunt glūtus et fētus, quae a gluo et feo veniunt. Mūtus ex μῦ, quod homines linguae usu privati proferre soleant, factum esse affirmat Varr. l. l. 7, 5, 101. Frētus equidem literis verbi ferendi transpositis ortum esse contenderem, si eiusdem transpositionis exemplum aliud invenissem. Graeco sermone ex φέρω factum esse φρέω satis constat. Simili ratione Dietrich p. 7. grātus explicat: nam literis transpositis ex Graeco χαρτός ortum putat. Sed quae sint radices vocabulorum brūtus, lātus, tōtus equidem ignoro. Singulari modo formatum est invītus, quod a velle originem traxit: in eo similiter atque in vis radix mutata est. At in cătus, inclŭtus, pŭtus, quamvis deriventur ex radicibus, quae in vocalem desinunt, brevis est vocalis. Cătus enim haud dubie ad radicem revocandum est, quae in cavendo conspicitur, inclŭtus a verbo cluendi originem traxit, pŭtus vero pariter ac pŭtare ex radice enatum est, quae in pūrus invenitur, cf. Varr. l. l. 6, 7, 63. Gell. noct. Att. 6, 5. In cĭtus quoque radix breviatur, quamvis a ciendo veniat. — Ampliatum fit a) tius sive tium, cf. ostium ex ore factum. Hic exitus vocali productae appositus est in ōtium et lōtium, quorum illud quam habeat radicem ignotum est, hoc vero a lavando venit. Sed in vocabulis, quae

*) Dietrich p. 6. dubitat, num frĕtum a fervendo venerit. Credibile est vocem a ῥέειν venire, si digamma praepositum esse statuamus, ut recte cum ῥέεθρον sive ῥεῖθρον possit conferri.

ab eundo ducta sunt, brevis vocalis invenitur, cf. exitium, initium, comitium. Sed multa sunt exempla, quibus vocalem copulativam interiectam esse possit demonstrari, cf. caesitius, propitius, capitium, calvitium, servitium. In flāgĭtium, quod a flando venire veri simile est, suffixum litera *g* auctum putandum est: unde radix producitur. — b) tuus, quod in fātuus longae radici coniungitur, quum de vaticinando dicitur; si vero inest notio stulti, radix corripitur. — Aliud ampliationis genus invenitur in exitu stus, cf. fastus, faustus, castus, vastus, sublestus. Frustum a fruendo venit. — 6) tus quarta declinatione, cf. artus, quod ex Graeco ἄρειν enatum est. Qui exitus efficit, ut vocalis, qua terminatur radix, longa fiat, cf. flātus, flētus, trītus, nūtus, quae a flando, flendo, terendo, nuendo facta sunt. Fētus ab inusitato verbo feo venit; pōtus ex eadem radice ac pōtus participium ortum est. Rītus haud dubie simili ratione natum est; sed quae sit radix, nescimus. Neque tamen improbanda est sententia, quam Pott I, 218. proposuit. Is enim vocem ex radice repetit, quae in Graeco ῥέειν cernitur. Hunc qui sequitur, facile inveniet, in voce illa eandem, quam mos et modus habent, inesse notionem. Aliter statuunt Aufrecht et Kirchhof I, 33. In mōtus consonans *v* extrita est: quo facto radicis vocalis legitime producta est. Sunt vero vocabula, in quibus radix corripitur: dătus, sătus, stătus et quae ab eundo veniunt adĭtus, ambĭtus, coĭtus. Quae tus in sus mutant vocabula, ea exitu apposito brevem radicis vocalem producunt, cf. cāsus, quod a cădendo venit. Si quae vocabula ex verborum stirpibus derivantur, in iis quoque vocalis, qua terminantur, semper producitur, cf. venātus, audītus. Neque tamen deest vocalis copulativa, cf. habitus, halitus, spiritus.

11. Secunda suffixorum compositorum series. 1) ăt facit casu nominativo (1) ăs, cf. anăs. — (2) ăta, cf. gabăta. — 2) ĕt facit (1) ĕs, cf. circĕs, tegĕs, terĕs. Quamvis in sĕges suffixum *g* litera auctum sit, quippe quod a serendo veniat, tamen radix brevem recepit vocalem. — (2) ēs, cf. abiēs, ariēs, pariēs, in quibus suffixum vocali *i* praeposita adauctum est. — (3) ĕta, cf. nepĕta. — (4) ĕtus, cf. vegĕtus et venĕtus. — 3) ĭt facit (1) ĕs, cf. equĕs, pedĕs. — Ampliatum fit a) lĕs, cf. vēles, quod aeque ac vēlox a vehendo ductum est: unde intelligitur, ex qua causa radix producatur. Mīles num a mīle veniat, dubitari potest, quamquam Varr. l. l. 5, 16, 89. affirmat et denominationis causam docte exposuit. Nihil enim obstat, quominus id una cum mile ex eadem radice, quam in Graeco μυρίοι inveniri supra dixi, ortum esse et unum ex multis significasse statuamus. Qui āles ab ala derivat, in reprehensionem non incurret; neque tamen quidquam impedit, quominus id ab ipso avis factum esse censeamus. Quo comprobato non minus eius mensura explicatur, quam si ab ala derivemus. Praeterea exitus les in duobus aliis vocabulis conspicitur: cocles et poples. Varr. l. l. 7, 3, 71. ait: ab oculo cocles ut ocles dictus, qui unum haberet oculum. Si quis quaerat, unde litera *c* praefixa sit, equidem eam ex praepositione co ortam esse putaverim. Sunt duo alia vocabula, cacumen et carcer, quae, quum ex acuendo et arcendo facta videantur, explicari non possunt, nisi illam praepositionem praepositam esse statuamus. Quod in căcumen brevis est vocalis, non est in causa, cur ab illa sententia recedamus: nam vox non contractione, sed elisione facta est; neque accentus obstat, quominus vocalis corripiatur. Aliter iudicat Pott I, 86. De poples vero nihil compertum habeo. — b) mĕs, cf. termĕs sive tarmĕs, quod Isid. 12, 5, 10. a terendo derivat. Qui exitus quum apponitur, vocalis, in quam exit radix, produci solet, cf. līmes, quod cum līquis et līmus eandem habere originem iam vidit Isid. 15, 14, 2., cf. Fest. 116, 2. Eadem vocalis productio invenitur in vocabulis, in quibus exitu apposito consonans in fine radicis posita extrita est. Nam non est dubium, quin fōmes a fŏvendo factum sit. Trāmes quoque recte ad praepositionem trans revocatur; neque dissentire

videtur Varr. l. l. 7, 3, 62., qui trames a transversus dictum affirmat*). Nec dignus est reprehensione qui āmes (Hor. Epod. 2, 23.) ex praepositione *a* ortum esse contenderit. Sed quum amites, ut Fest. 21, 5. interpretatur, perticae sint aucupales, facile me eo adduci patiar, ut vocem ab ipsa ave factam esse arbitrer. — c) pěs, cf. caespěs, hospěs, sospěs, quorum primum a caedendo derivatur, alterum ex radice vocis hostis factum est, in quo literam *s* ad exitum pertinere equidem iam supra suspicatus sum, tertium vero bene cum Graeco σώζειν confertur. Quum exitus ille radici apponitur, in cuius fine posita est vocalis, eam produci necesse est, cf. stīpes, quod a stando venire supra dixi. — d) ves, cf. dīves, quod una cum dīs ex eadem radice ortum est; eam in dando inveniri equidem suspicor. — (2) ĭta, cf. orbita, culcita (cf. Varr. l. l. 5, 35, 167. Fest. 50, 9.). Cŭcurbĭta reduplicata radice ex curvus ortum esse multi sunt qui sibi persuaserint. Sēmita Varr. l. l. 5, 4, 35. ex sēmi et eundo compositum esse contendit. Amĭta, cuius radix brevis est (cf. Pers. 6, 52.), unde originem traxerit, indagare non potui; iis, quae Fest. 14, 4. dixit, ponderatis et perpensis ei cum ăvus cognatio quaedam intercedere videtur; sed hanc derivationem si veram esse statuamus, non possumus perspicere, cur radicis vocalis non sit producta. Quid de alucita statuendum sit, nescio. — (3) ĭtus sive ĭtum, cf. digitus, penitus, cubitum. — 4) ŭt facit (1) ŭt, cf. capŭt. — (2) ŭtus sive ŭtum, cf. arbŭtus sive arbŭtum.

III. Tertia suffixorum compositorum series. 1) ās, qui quidem exitus non nisi *t* ampliatus invenitur, unde ortum est tās, cf. aetās, voluptās, voluntās. Plerumque vocalis copulativa interiicitur, cf. civitas, severitas, pietas. Simili ratione a calămus, quod ex radice, quae est in calix, calvus, aliis cavumque sive inane quoddam significat, originem traxit, factum est calamitas. Quae quidem vox proprie significat robiginem, quae calamos et fruges urit. Inde intelligitur eam fuisse rusticanis usitatam; ab iis ad quamque aliam perniciem significandam videtur esse translata. Quod quidem eo facilius fieri potuit, quod in ipsa radice vitii cuiusdam inest notio. — (2) ātis, qui exitus plerumque in ās mutatur, cf. nostrās, primās, Arpinās. — (3) āta, cf. aurāta, calcāta. — (4) ātus sive ātum, cf. alātus, aerātus, aurātus, privātus — cerātum, palātum. — (5) ātus quarta declinatione, cf. magistrātus, tribunātus. — 2) ēt facit (1) ēs, cf. quiēs. — (2) ēta, cf. codēta, monēta, rubēta. — (3) ētus sive ētum, cf. facētus — acētum, dumētum, morētum, candētum, tapētum, frutētum, aesculētum, arborētum. Tēmetum cur radicem produxerit, equidem nescio. Credibile est fuisse substantivum tēmum, unde et tēmulentus et abstēmius orta putanda sunt. — Exitus ampliatus fit: a) cētum, quod in būcētum productae radici coniunctum est: nam extrita est consonans *v*. Simili ratione factum est tūcētum, quod Pott II, 547. a tundendo derivat, ego a tumendo ortum esse putaverim, ut cum tūber possit conferri. In olenticetum, busticetum, senticetum vocalis copulativa conspicitur. — b) ŭlētum, cf. amŭlētum. — 3) īt facit (1) īs, cf. Samnīs, Quirīs. — (2) īta, quod in his vocabulis invenitur: cassīta, cancellīta, corbīta, genīta, marīta. Ampliatum fit uīta, cf. pituīta. — (3) ītus sive ītum, cf. avītus, aurītus, marītus, mellītus, pellītus, capītum. Ampliatus fit exitus uītus, qui in fortuītus et gratuītus invenitur. — 4) ōt facit (1) ōs, cf. nepōs. Hic exitus in sacerdos aliis suffixis adauctus conspicitur. — (2) ōta, cf. carōta (cf. Lob. path. 391.). — (3) ōtus sive ōtum, cf. aegrōtus — cerōtum. — 5) ūt facit (1) ūs, cf. salūs. Ampliatum fit tūs, cf. virtūs, iuventūs, senectūs. Neque deest vocalis copulativa, cf. servitus. — (2) ūta, cf. alūta, cicūta,

*) Sunt qui trames a trameando derivent. Aufrecht et Kirchhof I, 157. vocem ex accusativo radicis Umbricae et verbo eundi factam esse putant.

crocūta. Hic exitus ampliatus invenitur in Mātūta, quod ex eadem radice ac māter, māturus, māne descendit: unde radix producitur, cf. Fest. 160, 8. 125, 14. 122, 3. Aliter iudicat Mommsen unt. Dial. 275., qui literam *t* radici adhaerere putat. Pott II, 246. in dubio versatur, utrum *t* ad radicem an ad exitum pertinere censeat. — (3) ūtus, cf. acūtus, astūtus, cornūtus. Eiusdem generis vocabula interdum a participiis fiunt, cf. cinctūtus, versūtus.

